S. TURIBII
ALPHONSI MOGROBESII
ARCHIEPISCOPI LIMENSIS
IN PERUVIÆ REGNO,
Quarto Idus Decembris Anno MDCCXXVI.
A BEATISSIMO PATRE
BENEDICTO XIII. P. M.
SOLEMNITER INTER SANCTOS RELATI,
Vita, & Gesta
A
P. FRANCISCO MARRACCIO
L U C E N S I
Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei Sacerdote
LIBRIS QVATVOR EXPLICATA.
OPUS POSTHUMUM
Nunc primùm Auctori suo restitutum, & nonnullis additamentis auctum
A FRIDERICO SARTESCHI
Ejusdem Congregationis Professore.
REVERENDISSIMO PATRI
MICHAELI ANGELO
TAMBURINO
PRÆPOSITO GENERALI SOCIETATIS JESU
DICATUM.



ROMÆ, MDCCXXVII.
Ex Typographia Komarek in Via Cursus.)(Sup. Permissu.

REVERENDISSIMO PATRI

MICHAELI ANGELO TAMBURINO

PRÆPOSITO GENERALI SOCIETATIS JESU,

Lavinia Natalini Komareck Felicitatem.



ISTORIAM de rebus geſtis a Divo TURIBIO Archiepiſcopo Limano poſthumum opus inſignis viri Franciſci Marraccii Congregationis Matris Dei nullius potius ornatum nomine prodire decuit, quàm Tuo. Quibuslibet enim ex cauſis jam pridem invaluit iſta conſuetudo, ut

clarorum ingeniorum monumenta, claris itidem viris inſcribantur, propter eas omnes iſtud tibi Reverendiſſime Pater deberi ſentio. Etenim qui hunc primi morem uſurpaverunt, duo hæc illos ſpectaſſe arbitror; aut certè alterutrum: ut, eâ re vel quos Patronos habebant, quodam quaſi munere demererentur, vel lucubrationibus ſuis, ex eorum claritate præſidium, & decus quærerent. At hoc opuſculum, quod ego prælo edendum ſuſcepi ejuſmodi eſt, ut eo neminem magis, quàm te donari deceat. Nam præter quamquod authorem habuit, qui genere vitæ Inſtituta Societatis, cui Tu præes, quam proximè imitabatur: Ea continet, quæ tua fieri ipſa per ſe quodammodo flagitant. Sunt enim argumentum ipſius, quæ vir apoſtolici ſpiritus in extremâ illâ novi orbis Barbariâ præclarè geſſit, ut in eam latiſſimè quaquaverſus Trophæa Crucis inferret. Quem verò latet, quam feliciter inter eaſdem gentes Filii tui TURIBII cœpta, & tunc adjuverint, & nunc illo in Cęlis auſpice, Te in Terris Duce, proſequantur? Tibi ergo Reverendiſſime Pater cum ſanctiſſimi Antiſtitis geſta leges, revocabuntur in memoriam perquam ſimillima tuorum, quin potiùs tua. Neque enim a te aliena eſſe poſſunt, quæ tuo ductu geruntur a Tuis. Hæc autem cogitatio quemadmodum mihi perſuaſit neminem eſſe cui hoc opuſculum, vel juſtiùs deberi, vel gratiús quàm tibi futu-

rum

rum crederem; Ita fiduciam præbuit, Te unum præ cæteris patrocinium ejus benignè ſuſcepturum. Tametſi hujus quidem rei nihil mihi neceſſe fuit cauſas extra Te quærere. Notum quippe eſt, inter tam multas egregias dotes, ob quas in magno numero virorum omni laude præſtantium unus maximè dignus fuiſti, qui Societati Jeſu præficereris, præcipuè commendari benignitatem tuam, illudque nunquam deficiens ſtudium de omni hominum genere bene merendi. Non ergo vereri debui, ne qui te cunctis tam facilem præbes, a tuo me patrocinio repelleres. In quo ſanè quantum hujus Operis præſidium decuſque conſtituam, non equidem dicam ne modeſtiam tuam odioſis tibi laudibus onerem; Sed tamen ſcio, haud facilè quenquam improbaturum, quæ noverit tuo judicio comprobari. Vale.

CÆ-

CÆSAR TRENTA
RECTOR GENERALIS
Congr. Cleric. Reg. Matris Dei.

CUm Opus Posthumum inscriptum *Sancti Turibii Alphonsi Mogrobesii Archiepiscopi Limensis Vita, & Gesta &c.* a P. Francisco Marraccio Lucensi nostræ Congregationis Sacerdote compositum, probatum fuerit a duobus e Nostris Theologis quibus illud examinandum commisimus, quantum ad Nos spectat facultatem concedimus ut typis mandari possit.

Datum Romæ e nostro Collegio S. Mariæ in Porticu in Campitello XVII. Kalendas Octobris MDCCXXVI.

Cæsar Trenta Rector Generalis.

Quintinus Roncaglia Secretarius.

SAnctorum gesta nobis exempla sunt quæ sequamur. Iis insistentes habemus quæ cum merito exequamur. Inter eos qui Sanctitatis singulari laude in Ecclesia eminent Turibius Alphonsus Mogrobesius censeri sanè debet, cùm virtutibus summam sanctitatem decentibus undique effulserit. Ejus Gesta olim a P. Francisco Marraccio Lucensi Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei Sacerdote latinè conscripta jussu Reverendissimi Patris Fr. Gregorii Selleri Sacri Palatii Apostolici Magistri legi, nihilque in iis reperi quod operis editionem moretur. Quapropter opus dignissimum judico quòd ad sanctitatem alios docendam evulgetur.

Romæ IV. Kalendas Augusti MDCCXXVI.

E Cœnobio Minervitano.

Fr. Thomas Maria Minorellius Sacræ Theologiæ Magister, & Bibliothecarius Casanatensis.

APPRO-

APPROBATIONES
PP. Consultorum Sacrorum Rituum Congregationis.

Librum, cui titulus *Sancti Turibii Alphonsi Mogrobesii Archiepiscopi Limensis Vita, & Gesta &c.* a P. Francisco Maraccio conscriptum, jussu Reverendissimi Patris Magistri Sacri Palatii, legi: nihil in eo, quod vel catholicæ veritati, vel bonis moribus adversetur, offendi: plurimum autem quod legentium edificationi prodesse possit; censeo igitur publicâ luce dignum. Ex Collegio Romano 22. Augusti 1726.

Ignatius Guarini Societatis Jesu.

Ut jussis Reverendissimi P. Magistri Sacri Palatii satis facerem, legi librum, cui titulus *Sancti Turibii Alphonsi Mogrobesii Archiepiscopi Limensis Vita, & Gesta &c.* Auctore P. Francisco Marraccio Congr. Matris Dei, nihilque in eo deprehendi quod aut Catholicæ Religionis incremento, aut Fidelium pietati fovendæ, aut bonis moribus excolendis non sit apprimè consentaneum. Quare e re communi fore censeo, quòd publicâ luce donetur.

Ex Domo Professorum Societatis Jesu die 29. Augusti 1726.

Vincentius Caravita Societatis Jesu.

IM-

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

N. Baccari Epiſcopus Bojanen. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Sacri Palatii Apoſtolici Mag. Ordinis Prædicatorum.

FRAN-

FRANCISCI MARRACCII

PRÆFATIO.

QUæ in hac Turibii Alphonsi Mogrobesii Limensis Archiepiscopi Vita non dum Latino sermone, quod sciam, concinnata, scribenda aggredior, ut tot tantisque præclarissimarum virtutū exemplis absoluta fides habeatur, ex Antonio Legionensi Pinellio, qui Turibii gesta Hispanicè superioribus annis evulgavit, quæ prelsius Italicè reddita a Lapio, edita Romę MDCLV leguntur; nec non e publicis Actis, quæ nunc Romę conficiuntur ut Beatorum Fastis sanctissimus Præsul accenseatur, a clarissimo viro Joanne Francisco De Valladolid Limensi cui demandatum negotium ut Romę de Turibio inter Beatos referendo ageret, pro sua humanitate mihi exhibita, decerpsi.

Illud fateor deplorandum, quòd millesima vix pars eorum quæ sanctissimè Turibius gessit ab oblivione vindicari integrum fuit. Post quintum enim ac vicesimum annum ab excessu tanti viri, de ejusdem gestis legitimè inquiri vix cœptum est. Quo tempore cum iis pene omnibus absumptis, qui eum intimè norant, familiariterque usi fuerant, quique omnem vivendi rationem optimè observarant: tum si quos mors reliquos fecerat, eorum quæ olim viderant, audierantve majori ex parte fuerant obliti, quàm multa hîc desideranda sint nemo non videt.

Quod autem ad me attinet, non est quod multis te morer Lector. Id unum monitum volo, me uberrimum atque amplissimum laboris mei fructum percepturum, siqua ex tanti viri vita præclarisque virtutibus ad plures utilitas promanarit. Hujus enim rei causâ, hoc sermonis genere uti libuit quo nullus ubique gentium notior, nullus gravior, ac dignior, ut cum Romano sermone, Romana fide, illius etiam propagatoris nomen, ac laudes latius percrebescerent.

Cæterum si quid in ipso stylo rude, si quid parum splendidè dictum videbitur, parum ornatè, da veniam Lector; neque enim hîc verba ad scribendum nimiâ diligentiâ conquirere, sed res opus erat per se satis ornatas, & claras memorare. Qua in re, non auribus tuis indulgendum duxi, sed tibi. Vale.

FRIDERICI SARTESCHI

PRÆFATIO.

UT modum dicendis rebus in hac nostra Præfatione imponamus, primùm de Auctore, dein de Opere ipso, eâ quâ poterimus brevitate, scribemus.

Verus hujus Vitæ Auctor est Franciscus Marraccius Lucensis, Hippolyti, & Ludovici Marraccii Congregationis Matris Dei clarissimorum Scriptorum germanus frater, qui A. MDCXVII. natus, Congregationi nostræ Matris Dei anno MDCXXXII. nomen dedit, in qua cum triginta annos cùm nostrorum, tum exterorum, ob singularem ipsius pietatem, eruditionemque laude vixisset, demum Neapoli VII. Idus Augusti Anno Millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo ultimum diem clausit.

Haud pauca ingenii sui nobis monumenta reliquit; quæ partim typis ipse mandavit, partim MSS. in nostris pluteis locum habent.

Inter ipsius Opera MSS. TURIBII ALPHONSI Mogrobesii Limensis Archiepiscopi Vitam Latinè scriptam in nostra Romana Bibliotheca S. Mariæ in Porticu in Campitello invenimus, quam Franciscus Marraccius anno MDCLVIII. Romæ absolverat, ut nostri Romani Archivii Codex non obscurè prodit. Illico e tenebris vindicandam animum adjecimus, laboresque nostros haud gravatè contulimus, sperantes eos non tantùm Sodalis nostri studia illustraturos, ac in Reipublicæ litterariæ, Piorumque omnium utilitatem cessuros, sed, quod caput est, facilius nos tanti Præsulis, IV. Idus Decembris hoc quo hæc scribimus anno MDCCXXVI. inter Sanctos a Benedicto XIII. Pont. Max. adscripti, patrocinium experturos.

Dum autem hujus Vitæ editionem adornabamus nostras in manus TURIBII Vita venit, quæ Fr. Cypriani de Herrera nomen præfert, cui Titulus: *Mirabilis Vita & mirabiliora Acta Dei Vener. Servi Toribii Alphonsi Mogrobesii Limani Archipræsulis Viri virtutum splendore clarissimi, ex Actis legitimis de mandato Sacræ Rituum Congregationis opera Ordinarii & Auctoritate Apostolica confectis deprompta, Sanctissimo Domino N. Clementi Papæ X. dicata. Studio A. R. P. M. F. Cypriani de Herrera Augustiniensis Limani, S. Theologiæ Doctoris in Regali Regum Universitate. Qualificatoris S. Inquisitionis, & Hispaniarum Catholicæ Majestatis Regii Concionatoris in lucem edita. Romæ Typis Nicolai Angeli Tinassii MDCLXX. in 4.*

Antiquiorem hac editionem nemo nobis ostendet, cum extra omnem judicii aleam sub Herreræ nomine sit Romæ primùm cusa anno mox præ-

prænotato, seu MDCLXX. octavo post nostri Francisci Marraccii obitum anno; quippe Franciscus Marraccius, ut supra adnotavimus, Anno MDCLXII. vivere desiit.

Hujus Turibianæ Historiæ ab Herrera editæ tria Romæ exemplaria vidimus; unum in Bibliotheca Casanatensi, alterum in Bibliotheca Eminen. Cardinalis Imperialis, tertium in Bibliotheca Angelica PP. S. Augustini.

Ut vero memoratam Turibii Vitam, quæ Herreræ nomine in lucem prolata legitur, cum Turibii Vita MS. a Marraccio concinnata contulimus, statim, quòd nunquam in mentem venisset, Herreram a Marraccio ferè omnia desumpsisse deprehendimus. Quandoquidem præter aliquam non una in parte ordinis inversionem, & sententiarum plerunque adsutarum congeriem quibus non erat locus, nonnullaque capita, e quibus etiam ob nimis apertam styli dissonantiam, manifestum discrimen inter ea quæ ex Marraccio sumpsit, quæque ipse adjecit cognoscitur, de suo ferè nihil contulit. Eadem Historiæ partitio, eadem propemodum capita, eademque ut plurimùm verba, verborumque compositio.

In primo Libro prẹter caput I. XI. XXIII. ex parte & XXV. e suo penu nihil deprompsit, nec quidquam quod multùm ad rem faciat affert. In secundo habet caput XXVIII. idque magna ex parte ex aliis Marraccii locis excerptum. Tertium Turibianæ Vitẹ Librum integrè fideliterque ad verbum ferè exscripsit. In Quarto addidit caput XVI. prẹnotatum: *Turibii cum B. Carolo comparatio*: & ultimo loco *Perorationem Auctoris* adjecit. Hos verò quatuor Libros tot S. Scripturẹ, Patrum, aliorumque sententiis ab argumento alienis, adeo turbavit, ut ipsa Historica narratio perquam molesta reddatur. Hinc Herreræ maximas debemus gratias nostri Francisci Marraccii nomen tacitè omnino prẹteriisse.

Ubi verò Herrera Marraccii verba retulit, quòd lepidum, & facetum est, ut aliquid quandoque e proprio fundo addidisse videatur; tunc vel *quando* pro *cum*, vel activum e passivo, aut e contra, idque genus similia reddit.

Ex paucis his exemplis cẹtera disce. Marraccius *lib.* I. *cap.* VI. *pag.* 8. *num.* I. hẹc de Turibio habet: *Annum quippe agebat tricesimum primum cum Pintiâ Salmanticam venit, eodemque die quo Collega esse cẹpit, summo omnium judicio, ac favore, maximo doctissimorum virorum conventu, ac frequentiâ, inter clarissimi nominis Antagonistas Joannem Pinedam, quo viro Societas Jesu nobiliter deinde floruit, & Franciscum de Contreras, hominem in paucis, & doctrinâ, & morum integritate, & gloriâ honestissimorum munerum spectatum, Collegarum Ovetensium clamyde grisæâ, ac redimiculo cyaneo post humeros rejecto, quod honoris summum genus est, dignissimâ ornari meruit &c.* Herrera autem *lib.* I. *cap.* IV. *pag.* 8. sic scribit: *Annum quippe agebat*

agebat Turibius *trigesimum primum* quando .... *Salmanticam venit*, *eodemque die quo Collega esse cepit* Sancti Salvatoris, *summo omnium judicio* ...., *maximo doctissimorum virorum*, Equitum *conventu* .... *inter clarissimi nominis Antagonistas Joannem* de Pineda, *quo* .... postea *Societas Jesu* floruit nobiliter, *& Franciscum de Contreras*, *hominem in paucis* .... *doctrina* .... *morum integritate*, *& gloriâ honestissimorum munerum spectatum*, *Collegarum Ovetensium clamyde* .... *dignissimâ* meruit ornari, & Becâ &c. Marraccius eodem libro *cap.* XVIII. *p.* 25. *num.* I. *Hic nescio quibus suis potius rationibus e Politicæ sinu depromptis persuasus* &c. Herrera eodem pariter libro *cap.* XII. *p.* 46. Sed *nescio quibus* .... *rationibus e Politicæ sinu depromptis* Prorex *persuasus* &c. Marraccius *cap.* XX. ejusdem libri *p.* 28. *num.* II. *De Præfecto enim quis dubitet? Sed eas criminatrices* &c. Herrera *cap.* XIII. ejusdem libri *pag.* 50. *De* Prorege ergo *quis dubitet? Sed eas criminatrices* &c. Marraccius *lib.* II. *cap.* XXX. *p.* 89. *num.* XV. *Cumque jam jam profecturus instaret* &c. Herrera eodem libro *cap.* XX. *p.* 144. *Cumque jam* .... instaret profecturus &c. Marraccius lib. III. *cap.* XX. *p.* 174. *num. xiv. Subscribit Petrus Ortega Sotomajor egregius Theologus his verbis*. Herrera *cap.* XXI. ejusdem libri *p.* 303. *Subscribit* Illustrissimus Doctor D. *Petrus de Ortega Sotomajor* Theologus egregius *his verbis* &c. Addidit de suo speciosa illa verba: *Illustrissimus Doctor D.* Marraccius *Lib.* IV. *cap.* V. *p.* 184. *num. vi. quem Præsulem*, Turibium scilicet, *non Gregoriis*, *non Chrysostomis absimilem fuisse deprædicant* &c. Herrera eodem libro *cap.* V. *p.* 321. *quem Præsulem* non Augustinis, *non Gregoriis*, *non Chrysostomis*, non Carolis, nec Villanovis *absimilem fuisse deprædicant* &c.

Multa id genus hîc retulissem, sed ne nimis quàm par est nostra hęc exscresceret Prefatio ab iis recensendis supersedimus. Qui plura volet conferat memoratam Turibii Vitam ab Herrera Romę cusam cum hac nostra a Francisco Marraccio verè elucubrata, atque luce ipsâ meridianâ, Herreram se Auctorem vitę quam ferè solùm exscripsit venditasse, satis intelliget. Nos autem cuilibet paginę notulas marginales consultò adjecimus, utì Lector statim, quo loco ipsissima Marraccii verba Herrera in memorata sua Turibianæ Vitę editione exscripserit, ob oculos habeat.

At quomodo amabò Marraccii nostri Codicem Herrera inspexit, habuitque?

Penes Franciscum de Valladolid Limianum (qui ut Turibius sacris honoribus donaretur Romę quadraginta annos exegerat, ibique tandem obiit) Anno MDCLVIII. quo Franciscus Marraccius Româ Neapolim profectus est, suum Turibianæ Vitę exemplum reliquerat, ut typis quàm primùm mandaret, quippe ejusdem Valladolid precibus Turibianam Historiam concinnaverat: cum autem brevi Franciscus Marraccius Nea-

poli

poli obiisset, Franciscum Valladolid Turibii Vitę exemplum a Marraccio ei concreditum, F. Cypriano Herreræ Limano tunc Romę degenti ostendisse, fortasse an publicâ luce dignum judicasset, haud levibus ducti momentis putamus: Herrera autem res a Turibio pręclarè gestas proprio inscriptas nomine evulgandi consilio motus, laudes quę Marraccio debebantur in se transtulit: quique cum longè post Marraccium scripserit, ignotum non sinit, Marraccium ipsum Turibianæ Vitę Latinè scriptę verum ac genuinum esse Auctorem.

Pręterea ex Codice MS. in nostro Romano Archivio adservato, cui Titulus: *Memorie de Nostri passati a meglior vita* &c. *num.* 42. eumdem Franciscum Marraccium in sui seculi Virorum Illustrium rebus gestis colligendis qui singulari sanctitatis laude inclaruerunt, quos inter sanctissimum Archiepiscopum Turibium accensendum nemo non videt, adlaborasse compertum habemus.

Tertiò, stylus quo Turibii Vitam Marraccius noster conscripsit, Marraccium ipsum ut verum illius Auctorem prodit. Quandoquidem qui Vitam Venerabilis P. Joannis Leonardii Congregationis Matris Dei Parentis ab eodem Francisco Marraccio Latinè pariter elucubrata, quę in eodem Archivio adhuc MS. adservatur, cum hac Turibii Vita contulerit, ex styli similitudine eumdem Marraccium utranque scripsisse satis intelliget.

Quartò, ex nimis aperta planaque styli dissimilitudine quâ Herrera non paucis in locis Turibii Vitam interpolavit, ejusdem Vitæ se non fuisse Auctorem exploratum facit.

Demum ex pluribus quę ad hanc rem afferri possent, id unum sufficiat. Cum Marraccius quo tempore de Turibio scripsit, ejus diem natalem ignoraret, hunc prętermisit: Herrera vero recenset, quę quidem illius diligentia manifestum facit longè post Marraccium de Turibio scribere aggressum, seu verius quę scripserat Marraccius tribuere sibi voluisse. Ex his apertè intelligitur uter verus Turibianæ Vitę Auctor videatur. Sed de Auctore satis.

Pauca nunc de Opere ipso dicamus. Cum Franciscus Marraccius Anno MDCLVIII. Romę hujusmodi Opus absolverit, nonnulla ipsum fugerunt, quę in Actis ipsis tunc desiderabantur; quapropter ut omnibus numeris absoluta pręsens de Turibio Historia prodeat, ea quę in Marraccii Codice deesse animadvertimus ex Nicosellio, Haroldo, aliisque recentioribus Scriptoribus Turibii gesta percensentibus, supplevimus. Prodigia autem illa quę Turibius patravit postquam ille a Sede Apostolica inter Beatos locum obtinuit, ne Auctoris ordinem perturbaremus, ad calcem libri quarti consultò adjecimus.

Pręterea nęvos quosdam, qui Latinitatem alicubi minus excultam efficere

efficere videbantur, quique Marraccio dum ſcriberet aliud forſitan agenti exciderunt: aliaque nonnulla, pauca licèt, vel inutilia, vel ad rem parum facientia, expunximus. Hęc non ignorari voluimus, ut hanc a Marraccio conſcriptam Vitam conferenti cum ea quam Herrera interpolavit, pateat a nobis id factum, ut Marraccianum Opus ad Autographi ſinceram fidem, atque ad legitimi Auctoris mentem propius accedentes ederemus.

Hæc non ignorari a Lecturis hanc Vitam abs re non fore duximus, ut ſincerè veritas cognoſcatur.



Scri-

SCRIPTORUM AC TESTIUM

de TURIBIO Alphonso Mogrobesio Judicia.

I. UT quæ in TURIBII vita recensentur non arbitrio confictа, sed ad rerum veritatem exacta manifestius cognoscantur, operæ pretium visum est referre quæ de illo viri fide dignissimi prodiderunt, probique Testes confirmarunt. Ex his, velut in antecessum patebit, quàm admirandâ sanctitate TURIBII Vita fuerit. Plura quidem potuissem proferre si majorem in numero firmitatem, quàm in similitudine tædium fore sperassem. Volumen certè satis amplum confici posset, si quis omnia exscribere hîc, atque exhibere vellet. Ego pluribus supersedens ex sexcentis similibus ea tantùm ponam, quæ maximè auctoritate, dignitateque excellere videbuntur, iisdem omnino verbis, quibus scripta reperi, latinitate tantùm adjectâ. Herrera lib. I v. c. xvii. pa. 339.

II. Franciscus Molina doctissimus vir hęc habet: Non me „ latet Virum generis nobilitate clarum. fuisse TURIBIUM, An- „ tistitum verò exemplar absolutissimum, verum sanctitatis spe- „ culum, omnibus Vitæ, ac morum singulare documentum: *Ad-* „ *dit*: Ita se gerebat in omni re, ut ex externis actibus candor pro- „ spici posset tanquam terrestris Angeli. Ibidem p. 356.

III. Francisci de Chaves Provincialis Peruensis Franciscanorum Ordinis dignitatibus ac religiosis moribus præcellentis verba „ sunt: Fuit TURIBIUS Alphonsus Archiepiscopus Vir vitâ pla- „ nè inculpabili, omnium acclamatione SANCTUS, Prælato- „ rum exemplar. Ibidem p. 357.

IV. His non minus grave Joannis Robles Sacerdotis a doctrinæ insignibus vitæque probitate ornatissimi testimonium: Fuit „ Archiepiscopus TURIBIUS Vir ingenuitate, atque integritate „ singulari. Nullum ex ejus ore verbum excidit unquam, quod ja- „ ctantiam saperet, aut vanitatem oleret: omnia verò ejus tum „ verba, tum gesta cum Sanctitate conjuncta erant, adeo ut nulla „ unquam in eo gravior culpa, immo nec levior, aut imperfecti „ aliquid deprehendi potuerit. Animæ puritatem, cando- „ remque eximium præsetulit, itaut nec capere, nec credere, „ ne suspicari quidem de aliquo posset improbitatem, aut fla- „ gitium. Creditur etiam, ac pro indubitato est, & certo „ Virginitatem semper servasse usque ad vitæ suę finem „ simul cum innocentia de sacro fonte relata. Nihil quippe ab

Ange-

„ Angelo cælesti differre vitæ incontaminatę candore videbatur.
„ Ad hæc pœnitentię amantissimus, Caritate Divinâ ignitissimus,
„ rerum ad Divinum cultum pertinentium studiosissimus, omni
„ curâ diligentiâque ad illud incumbens, ut Deo ac Domino no-
„ stro laudes, atque obsequium omnes exhiberent: a nemine ve-
„ ro idem offenderetur.

V. Consonat quod Joannes Reynoso Hispanus testatur, ait
„ enim: Se de Archiepiscopi TURIBII Alphonsi Vitæ puritate,
„ Animęque integritate eam semper animo opinionem habuisse,
„ ut non lethalis tantùm, ac venialis criminis contagione alie-
„ num, sed & qualibet imperfectione immunem, toto vitæ tem-
„ pore perseverasse eum pro certo judicaverit. Ceterum perspe-
„ ctum nemini non fuisse pectoris illius candorem, mansuetudi-
„ nem eximiam, misericordiam erga omnes singularem. Voluisse
„ enim omnes, ac singulos cordi, ac visceribus suis inserere,
„ maximè verò omnium pauperes, ac miserabiles. Porro om-
„ nem ejus in consuetudine agendi rationem de uno Deo ipsiusf-
„ que caritate fuisse, quâ ut e Cœlicolis unum, altius imbibitâ
„ semper conflagrasse.

Ibidem p. 350.

VI. Contestatur Doctor D. Hernandus Avendano Sacerdos
Doctrinæ titulis insignitus, ac Limensis Ecclesię Parochus his ver-
„ bis: Equidem (quę mea de Archiepiscopo TURIBIO Alphonso
„ Mogroveso opinio est) integrum eum vitę scelerisque purum,
„ sanctum, irreprehensibilem, Prælatum Apostolicum, dignum
„ qui in Sanctorũ numero ab Ecclesia reponatur existimavi. Nec
„ mea hæc tantùm opinio sed communis est ejus Civitatis, atque
„ Archiepiscopatûs ubi cunctorum summâ acclamatione SAN-
„ CTUS ARCHIEPISCOPUS TURIBIUS vocitatur. Omnium
„ insuper gravissimorum Virorum doctorum, ac pietate insi-
„ gnium totius denique ad unum populi consensus, a quibus om-
„ nibus tam in vita, quam post mortem eo honore affectus est,
„ quo sancti homines consueverunt, ac tãqam primitivę Ecclesiæ
„ Pręlatus propter heroicas virtutes, maximam vitæ castitatem,
„ sanctitatem, ac zelum est habitus.

Ibidem p. 358.

VII. Ex Ordine Prædicatorum Magister Fr. Gabriel de Za-
rate Peruanæ Provinciæ Præfectus, ac Magistratûs Fidei Quali-
ficator, & Electus de Guamonga de TURIBIO fatetur: Eum,
„ *nimirum*, Caritate erga Deum ejusdemque honoris, & cultûs
„ studio maximè exarsisse. In animarum salute curanda studiosis-
„ simum fuisse: per se enim pias preces, & Christianæ doctrinæ ru-
„ dimenta pueros docere diebus Dominicis sub vespertinum

tem-

„ tempus in sua Ecclesia consuevisse, atque ejus rei memoriam
„ quam adolescens viderat nunquam animo suo excidisse.

VIII. Fr. Thomas Majorga ex Augustiniana familia Sacræ
„ Theologię Magister in suo Ordine celeberrimus: Fuit, *inquit*,
„ Archiepiscopus TURIBIUS ALPHONSUS Vir summâ forti-
„ tudine, summâ constantiâ quidquid ageret, aut constitueret.
„ Providebat enim diligentissimè quæ geri oporteret: quod dein-
„ de aggressus nullâ ratione deterreri poterat quin perficeret.

IX. Ex Ordine Beatæ MARIÆ Virginis de Mercede P. Fr. Petrus Nolascus Sacerdos: Erat, *inquit*, Præsul TURIBIUS in caritate, & amore Dei insignis, quod in tota vita sua, ac gestis demonstrabat, omnia eò referendo.

X. Ex Societate JESU P. Joannes Vasquez Sacerdos, Rector, & Parochus in Suburbio Limensi intèr cætera mul-
„ ta: Denique fuit, *inquit*, TURIBIUS omnium virtutum spe-
„ culum, quæ ad asserendam in homine sanctitatem requirun-
„ tur. Fuitque in vita, ac moribus singulare sanctitatis exem-
„ plar, formaque Præsulum primitivæ Ecclesiæ. Vir tandem illu-
„ stris, atque æternâ memoriâ multis nominibus dignus.

XI. Mauritius Rodriquez Sacerdos spectatæ probitatis, multisque in Urbe Regum muneribus rite honestèque perfunctus cum
„ asseveratione, ac jurejurando testatur: Fuit Præsul TURIBI- Ibidem.
„ US ALPHONSUS animo summâ sinceritate, & candore præ- p. 359.
„ dito, itaut nullam unquam de aliquo homine malam suspicio-
„ nem admiserit, nec si quod flagitium de quopiam ad eum de-
„ ferretur illud credebat. Neque enim animum inducere pote-
„ rat, ut existimaret lethali peccato aliquem operam suam dare
„ potuisse. Utque ipse animam maximè puram sanctamque gere-
„ bat, ita eam de cęteris omnibus opinionē habebat, ut ab offen-
„ sa Divina sibi quisque summâ diligentiâ caveret. Animæ verò
„ suæ rationes ita relatas confectasque semper habebat, tanquam
„ si eo die, atque momento sibi moriendum foret. Sæpius ex-
„ clamare solitus: Ne leviter quidem peccandum.

XII. Alphonsus de Carion sic fide dignus, ut a Secretis Capitulo, & Gubernationi Civitatis Limensis esse potuerit adjungit:
„ Fuit in Dignitate sua præferenda gravissimus quandocunque
„ veste Pontificiâ indutus Sacerdotio suo fungebatur. Immuni-
„ tatem porro Ecclesiasticam, atque omnia Jura, resque sacras
„ ita tuebatur, ut nulli placere, aut displicere curaret, nihilque
„ hominum causâ moveretur, sed tantùm Dei obsequium purissi-
„ mo obtutu respiceret. Neque enim personarum acceptator erat,
„ nihilque accipiebat a quoquam.

Ibidem p.356. XIII. Petrus Nugnez Limensis Ecclesiæ Decanus Juris verò, & litterarum sciens in primis Oratione funebri Primatis TURIBII ALPHONSI exequias prosecutus, cùm suo judicio, tum quia sic judicare confirmareque universam concionem videbat, neu sensui adversari communi solus videretur, nunquam nisi cum prænomine SANCTI VIRI TURIBIUM nominavit.

Ibidem p.360. XIV. P. Fr. Bonaventura Salinas, & Cordova Franciscanus, in Historia sua Peruana, de Urbe Lima, deque iis, qui ei Ecclesiæ præfuerunt claris Viris scribens „ Purissimâ Virginitate or„ natum, ac SANCTUM ARCHIEPISCOPUM appellat.

XV. Alphonsus Ramis Gauidan ex Augustiniana familia, Historiæ de Imagine Beatæ Virginis Capocavanæ scriptor, de TURIBIO agens ARCHIEPISCOPUM SANCTUM SANCTÆQUE MEMORIÆ eum dicit.

XVI. P. Barnabas Cobo e Societate Jesu in Historia Limensi nondum edita, ubi de ejus Ecclesiæ Pontificibus agens ad TURIBIUM venit, pauca de ejus genere, muneribus delectu præ„ fatus: Obiit, *inquit*, in Oppido Sagnensium, dum Provin„ ciam sibi creditam recognosceret, anno 1606. x. Calend. „ Aprilis maximâ de se sanctimoniæ opinione, quam vivendo „ comparaverat relictâ. Liberalitate in pauperes maximè præ„ stitit. Præterea commissi sibi gregis spiritualia bona summo „ studio diligentiâque curavit: Indorum præcipue gentem sum„ mâ caritate complectens, quos singulis diebus Dominicis ver„ naculâ eorum linguâ alloqui pro concione solebat.

Ibidem p.361. XVII. Ægidius Gonzalez Abulensis Indiarum summus Chronographus in Theatro Sanctæ Salmanticensis Ecclesiæ edito anno 1650. Viros nomine, ac virtute claros e Collegio Sancti Salvatoris Ovetensi profectos enumerans de TURIBIO nostro hæc habet „ D. TURIBIUS ALPHONSUS Mogrovesus Ar„ chiepiscopus Limensis Vir Sanctus, de quo inter Sanctos re„ ferendo nunc agitur.

Ibidem p.355. XVIII. Hippolytus Marraccius consanguinitatis mihi summâ conjunctione adstrictus, Religiosæ quoque vitæ institutis iisdem mecum utens, libelli quem nuperrimè *de D. Virgine Capocavana* Romæ edidit cap.20. ubi de ejusdem Virginis effigie, atque ædicula apud Limam nostri Præsulis tempore impiis ausis dissipata, ver„ ba fecisset. Audiit (*inquit*) quæ gesta fuerant Sanctus ille Ar„ chiepiscopus Limanus TURIBIUS ALPHONSUS Mogrovejus, Vir to„ tus ex pietate ac caritate factus, & signis, & virtutibus admi„ randus, qui a Divina Providentia hoc nostro sæculo datus vi-

„ de-

„ detur, ut antiquorum Prælatorum imaginem, quorum memo-
„ ria est omni laude major, moribus, ac vitæ ratione delinearet.
Et libro de Antistitibus Marianis c.xvii.§.xxix. Antistitem laudatis-
„ simum, Virum Angelicarum Virtutum æmulum, & charismatum
„ Apostolicorum heredem copiosum, qui creditam sibi Ecclesiam
„ omni cum Pontificalis virtutis laude administravit, & Epi-
„ scopali solio manifesta æternaque inculpatæ vitæ, ac explora-
„ tæ Sanctitatis vestigia impressa reliquit, *appellat*.

XIX. In hanc rem plura congesserat scripseratque Marraccius de TURIBIO Testimonia. Verùm cum fere ii omnes qui de Sancto Archiepiscopo loquuntur, eadem pene habeant afferantque, abs re non futurum judicavimus, immo consultius duximus hîc solùm apponere quæ retulimus, ut brevitati studeremus.



CAPITA
LIBRI PRIMI.

C A P I T A
LIBRI SECUNDI.

XXII. *Fe-*

C A P I T A
LIBRI TERTII.

XIII. *Pro-*

C A P I T A
LIBRI QVARTI.



VITÆ S. TVRIBII ALPHONSI MOGROBESII LIMENSIS ARCHIEPISCOPI.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Turibii Alphonsi Genus, Patria, Parentes.

I. URIBIUS Alphonsus Mogrobesius, aliis Mogrovecchius, Mogrovesius, Mogrobesus, Hispanus in Oppido Majorga in Montanis, quæ de Lievana vocant, Diœcesis Legionensis, eodem quo S. Carolus Borromejus, cui in multis a cæteris Vitæ Scriptoribus meritò comparatur, Aronæ in Insubribus Galliæ Cisalpinæ natus est anno Christiano MDXXXVIII. diem, aut mensem nondum memoriæ proditum inveni. Illud in aperto est iisdem cum illo optimis sanctitatis auspiciis eamdem vitæ rationem initurus, eadem studia,

parem

parem vel majorem provinciam consecuturus. Dixeris Christianos geminos cœlesti beneficio pariter exortos, illum, ut Europæo, nostrum, ut Americano Orbi virtutum radiis affulgerent. Generis nobilitas, etsi utrique clarissima, adeo tamen ab utroque superata est, ut pretium potius acceperit ipsa quàm dederit. Ne fortunæ commoda commemorem, quæ amplissima fuisse satis constat, illud in causa est, quod non sine injuria ea a me commendari posse existimo, quæ ille tanquam omnium vilissima semper contempsit. Paucis talia percurrenda, ac potius ut illi hæc quoque ornamenta non defuisse, quàm ut inde aliquid ad ejus laudes accessisse videatur; nisi hoc fortasse unum, quia vel fortiter sprevit, vel sapientissimè administravit.

II. Parentes habuit Turibius in primis nobilissimos Aloysium Alphonsum Mogrobesium, atque Annam de Robles, & Moran de Villaquexida: alterum cùm litterarum laude suique Oppidi Majorgæ regimine, tum pro Avorum imaginibus domi militiæque æternam apud Posteros memoriam promeritorum, insigniter præcellentem: alteram tali Viro a morum singulari bonitate generisque æquali splendore optimè instructam, nec sine Deo auctore copulatam. Hanc Mogrovesæ Domus claritudinem pluribus alii, ego paucis perstringam, Gregorii Arzæ Hispalensis Viri doctrinâ eminentis, muneribusque obitis clari, testimonio contentus, omnium enim ille, hanc veteris Castellæ familiarum nobilissimam esse affirmat, ex qua longâ serie homines omni semper disciplinarum genere florentissimi prodierunt, quorum operâ, cùm propter praeellentem inter cæteros Hispani nominis ingenuitatem, tum propter eximiam spectatamque Christianæ Religionis, ac virtutum cunctarum facultatem, Ferdinandus atque Isabella aliique Catholici Reges plurimùm usi fuerunt. Illud quoque summæ nobilitatis argumentum certissimum, quòd & ipse Turibius inter Alumnos Collegii Ovetensis, & in Ordinibus Equitum nobilissimorum ipsius Nepotes, summâ omnium voluntate adscribi potuerint. humili enim, atque obscuro loco natis, nullus inter hos locus concedi solet.

NOTÆ

Marraccium latuit dies Natalis Turibii, cum ex Nicosellio, & Haroldo constet Turibium natum XVI. Kalendas Decembris An. 1538.

CA-

CAPUT II.

Puerilis Educatio.

I. TAli igitur loco nato, Parentum neque cura, neque diligentia, quæ in educandis, fingendisque ad virtutem liberis maxima adhiberi debet, Turibio defuit; ut enim erant uterque virtutum, ac pietatis amantissimi, sic ne qua institutionis neglectu, si fieri posset, labe primus ille candor, quem è sacro fonte retulerat corrumperetur, omni studio sibi contendendum existimabant. Pietatem proinde, vivendique optimè, ac liberaliter disciplinam suxit hic noster non minus maternis ab uberibus, quàm ab exemplis. Tredecim circiter annos, quà domo, & solo natus erat traduxit, quo tempore in elementis Christianæ, ac litterariæ eruditionis addiscendis, ita totus erat, ut puerilibus curis, aut parum relinqueretur, aut nihil. Si quid interdum otii foret, in extruendis, exornandisque parvis altaribus, sacri ritus, jam tum ac cæremoniarum emulator, quòd & de S. Carolo, aliisque insignibus Sanctitate Viris memoriæ proditum est, illud præcipuè collocabat. Nemo adeo nil videbat, ut surgentia futuræ Virtutis semina, in ipsius pene infantiæ confinio non suspiceret, Prudentiam ætate majorem, Pietatem religioso Viro dignam, modestiam incredibilem, mores omnes adamussim probitatis exactos; cereum denique in omnem virtutem flecti, æreum in vitia pueri, atque ineluctabile ingenium. Utinam ut omnes suspicere potuere, sic aliquis ab oblivione ea vindicasset, effecissetque ut dici a nobis, ac legi possent. Sed quanquam in tabulis omnino desiderantur ex iis tamen quæ subsecuta sunt, qualis exordii illius dignitas fuerit, conjicere animo non temere licet.

II. Etenim cum apud omnes ea constantissima semper opinio fuisse videatur, quæ omnem Turibii ætatem a quavis vel non gravissima liberat noxa, quis dubitet eum sibi similem semper fuisse, magisque ætate firmiores fecisse virtutes quamplures. Quàm lubrica res adolescentia, quàm ruinis obnoxia, nisi præter severioris institutionis præcepta, singulari cælestis gratiæ prærogativâ, singulari virtutis munimento, singulari morum probitate firmetur! Per hoc certè lubricum citra offensam neque Turibius noster progredi potuisset, si illi hæc adminicula,

 sine

fine quibus nulla innocentia consistere potest, defuissent. Eadem proinde opinari de hac ejus ætate oportet, quæ de paucis, quos Deus singulari amore dilexit, atque benedictionibus dulcedinis ita prævenit, ut per omnem deinde vitam incontaminatè supra humanæ naturæ morem gererent sese. Credibile quippe est jam tum ex præscripto vel parentum, vel alicujus probissimi prudentissimique Viri didicisse ea quæ ad sanctitatem faciliorem viam ipsi sternerent: jam tum intra certa temporum intervalla omnes vitæ partes, atque actus ita inclusisse, ut ne momentum quidem liberè relinqueretur, jam tum quâ ratione accuratissimè Conditori suo deserviret, quâ Divinis commentationibus, precibusque summâ contentione vacaret, quibus officiis parentibus, quibus majoribus natu, quibus cæteris omnibus cumulatissimè, atque ex christiana institutione satisfaceret: quo loco & æstimatione cælestia & æterna, quo fluxa hæc terrenaque habenda, quâ vi pravis quibusque cupiditatibus obluctandum, quo studio virtus excolenda, quibus artibus humanos affectus regeret, probè diligenterque percepisse.

III. Occurrit hîc, in aliis Scriptoribus Turibii gesta percensentibus, exemplum haud vulgare Marracci ætate vel adhuc tenebris obrutum, ut puto, vel ab ipso tacitè præteritum, quod certè negligendum non est.

Nicoselius lib. I. cap. I. p. 4. Haroldus c. 2. p. 13. & alii

IV. Vix ille decimum ætatis suæ annum exegerat, cum ab adolescentibus suis æqualibus excitatus ut cum iis plateam adiret pueriles quosdam ludos visurus, obstitit primò dein eorum precibus devictus, annuit. Contigit ut cista, puerorum malitiâ vel casu, pomis onusta, quam venundatum mulier quædam exposuerat, inverteretur, e quibus nonnulla pueri ipsi subripuere. Tunc illa in iras exarsit, linguamque maledictis & conviciis in ipsos exolvit, atque, ut dici mos est, fas omne abrupit. Exhorruit ad hæc Turibius, ægrèque ferens Deum injuriâ tam gravi lædi, vesanam mulierem ut conquiesceret rogat & obtestatur, nimiam illius iram Christianæ professioni absonam ostendens: quâ quidem piâ lenitate, mulierem ad mitius agendum revocat, illectam pretio, quod alacriter spopondit, pro damno illi a pueris illato, se soluturum. Illa a Turibii liberalitate mitigata iras posuit. Mox puer Genitricem adit, ad ipsius pedes provolvitur, rei gestæ seriem brevi exponit, & ab ea pecuniam petit quam illi pollicitus fuerat. Cui Mater *hujus ne culpa reus*

id a

id a me petis? Potius fame emori, inquit Turibius, *paratus sum, quam noxam hanc perpetrare, Deoque displicere*. Admirata tunc tantam, Filii religionem, pecuniam quam ab ea postulaverat largita est; eâque a Turibio mulieri traditâ, ne deinceps se tam facile abripi iracundiâ fineret, seriò admonuit, id consecutus hâc humanitate, ut Mulier ad se rediens tantam virtutem suspiciens se compesceret. In pietatem excolendam intentus sacra templa frequenter adibat, xenodochia invisebat, atque alia pia opera exercebat, abdicatâ omnino adolescentium sodalitate, qui eadem aut sentire, aut agere recusarent.

CAPUT III.

Studia litterārum Vallisoleti.

I. His ornamentis intra domesticos parietes instructus, liberalium disciplinarum causâ ad Vallisoletanam Academiam, parentum jussu, proficiscitur, ut cui nascendi sors secunda ad paternas fortunas aditum clauserat, ingenii ac litterarum culturâ jam tum inciperet sibi viam potiorem ad hæreditatem moliri: possetque cum sacro Vate gloriari felicius: *Dominus pars hæreditatis meæ*. Eò igitur profectus, suique juris quodammodo factus tantùm abfuit, ut de disciplina, quâ domi paternæ eruditus fuerat, aliquid remitteret, ut potius arctiorem, severioremque institueret vivendi rationem, illud ratus verè jure suo uti esse nullius malæ cupiditatis imperium pati, omnibus tandem imperare. Nihil ei antiquius fuit, quàm ut illius ætatis ludos, illecebras, necessitudines procul haberet. Si quando tamen, ne in rusticitatis confinia dilabi videretur, hujusmodi vti opus fuisset, ita parcè modestèque solebat, itaexactâ ad virtutis scopum, Deumque ipsum intentione, ut nec litterariæ rei, neque pietatis consuetis officiis quidquâ detrahi pateretur. Exempla non ab antiquiori, sed ab optimo quoque optima accipiebat, non optimis etiam dabat. Hinc bonorum in se studia conciliaverat, improborum reverentiam, ne eo vidente quidquam auderent, contra modestiam facere, aut loqui. Si cujus consuetudine tutissimè uti se posse non videret, nec aut corruptos mores, aut ingenii pravitatem emendari a se rectè monendo confideret, cautè fugiendo sibi ipsi consulebat, ne contagio pravæ consuetudi-

tudi-

tudinis afflaretur. Neminem verò familiarius adhibere consueverat nisi a quo cum doctrinæ incitamentis vitæ probatissimæ exempla habere posset. Ductore in rebus pietatis certo cui omnino pareret, cuique animi sui rationes omnes referret, latebras aperiret, per id saltem tempus non caruisse, certo certius existimo. Subsecivas verò horas, & quas humanioribus litteris negare licebat, Christianæ humanitatis officiis libentius impendebat, ægrotis publicis valetudinariis inserviendo, adoratum sacras ædes adeundo, aliaque hujusmodi pietatis officia excolebat. Hominum frequentiam, & conventus fugiebat, qui religionis ac pietatis studio sacris in ædibus non haberentur, ubi cum interrerat, adeo in iis que circa Divinum cultum peragebantur, totus erat, ut alia omnia oblitus videretur. Pauperes omni studio, ac benevolentia jam tum complecti, quibus, ut opem ferret, cum alia ratione non posset, ciborum sibi portionem adimebat, quam illis impertiretur; quamobrem ELEMOSINARII nomen sibi comparare ibi primùm cœpit.

C A P U T IV.

Pustulæ in læva manu sanitatem Deiparæ Virginis ope imploratâ, consequitur.

Herrera l.1.c.111. pag.7.

I. INTER hæc, caruncula in sinistra manu in folliculi similitudinem excrescens, non mediocrem juveni in dies, & molem, & molestiam creabat. Doloris acerbitate; quanquam ne ea quidem contemnenda, minimum movebatur, nec de membri vitio præcipuus labor, Sacerdotii sibi spem ita intercipi gravius ille ferebat. Medicæ primùm Artis remedia expertus, ubi nullam sibi opem afferre posse cognovit, ad celestia mox animum contulit. Est apud Vallisoletum Deiparæ Virginis Imago, cui a Sacrario nomen, in Basilica Divo Benedicto dicata, maximâ omnium pietate culta, beneficiorumque famâ percelebris. Ad hanc, opem ægritudini suæ ut impetraret, TURIBIUS venit, ibique multis precibus Dei Genitricem, cujus effigiem jam multo ante in oculis, ac pectore nunquam non habuerat defixam, oravit, ut quod hactenus Medicorum artem latebat, ab ipsa remedium daretur. Ad hæc rem divinam ad ipsius aram peragi curat, ac Eucharisticum panem recipit, tum

ægræ

ægræ corporis parti frequentiori pollicis ductu, Crucis imprimit signum, atque oculos, atque animum interea a Diva ipsa liberatrice non tollit, quâ statim benignè annuente, ecce sensim tumor decrescere, remittere doloris vis pariterque cum precibus omnino finire. Quas porro gratias pro tali beneficio Divinæ Virgini professus fuerit piissimus adolescens commemorare, ut esset longum, ita difficillimum. Ibidem pag. 8.

CAPUT V.

Jurisprudentiæ Lauream cum Pudicitiæ palma adeptus.

I. ILLIC verò blandiori quidem malo, sed pestilentiori tentatus fuit. Erant inter Commilitones nonnulli ad speciem sanè frugi, ac modesti, cæterum corruptâ profligatâque omnium vitiorum sorde adolescentiâ, quorum alii necessitudine, alii etiam propinquitate generis, quâ illi conjungebantur, abusi, honestissimo juveni, nihil in eis fraudis, qui animi candor erat ingenui, nihil inquam, fraudis suspicanti, pestem iidem, malè feriati moliri ausi sunt. Hos ea vivendi ratio ab omnibus voluptatum illecebris aliena, modestiæ, ac severitatis gravissimis legibus temperata, jamdudum non delectabat; cohiberi enim se veluti quodam fræno sibi videbantur, ne quid coram in consuetudinem citra fas auderent aut facere, aut loqui. Hinc ejus sanctitati infensi; illius evertendæ, in commune aliquando consilium cepere. Projecti igitur pudoris mulierculam, flagitium nefarium ac detestabile! nequitiarum omnium artificem, cultu, vultu, verborum lenociniis incendere, quæ posset pretio conductam, in cubiculo ejus constituunt. Actum de innocentissimi juvenis candore videri poterat. Rei exitus cupidissimè expectabatur ab iis, qui adolescentis innocentiam eidem objecerant lancinandam, perditissimis adolescentibus. At res, ab expectato, exitum longè habuit diversum. TURIBIUS ubi Domum regressus fœminam suo in cubiculo solam conspexit, ut toto animo, & corpore contremuit, periculi gravitate perterritus, ita indignatione magis, quàm concupiscentiâ inflammatus, titionem ab igne raptum cum D. Thoma Aquinate, cujus res similis agebatur, arripuit, quo illam fugaret. Acerrimæ sanè increpationi non pepercit, nec temperaturus erat Cap. II. pag. 7.

erat verberibus, nisi illa inde maturius cum pudore, si quis tamen pudor in illa fronte habere locum potuit, suisque cum lenociniis aufugere properasset. Virginitatem omni tempore quàm attentissimè conservans sibi cavebat, ne qua vel minima labe illa fœdaretur.

II. Ab hac porro palma ad Jurisprudentiæ lauream facilè feliciterque pervenit, quam quidem humaniorum jam Musarum leporibus, ac Philosophiæ studiis apprimè instructus, summâ omnium voluptate adeptus est, tantoque in ea facultate progressu, ut non ab homine Magistro, sed ab ipso Deo videretur edoctus.

CAPUT VI.

Salmanticam migrat. Emeritus renunciatur; quale in ea dignitate ejus vivendi genus.

Cap. IV. pag. 8.

I. TURIBII Pater accepto de filio inter Doctores adscripto nuncio non mediocriter gavisus est, opinione & spe adductus amplioris profectus, si TURIBIUS in celebriori Athenæo, ingenii doctrinæque suæ specimen daret; deposito Vallisoleti tyrocinio, Salmanticam proficisci jubet, ut in Ovetensi Collegio famâ toto Orbe Terrarum celeberrimo reliqvum Jurisprudentiæ cursum, Joanne Mogroveso patruo, homine in primis ejus Academiæ doctissimo, summisque honorum gradibus præclarissimè functo, Doctore ac Duce, conficeret. Tali loco, tali Institutore nobile illud Jurisprudentiæ trophæum, ut summi Viri verbis utar, brevi erexit, quo postea in Magistratu, ac Præfectura optimè administranda, mirificè excellere visus. Annum quippe agebat trigesimum primum, cum Pintia Salmanticam venit, eodemque die, quo Collega esse cœpit, summo omnium judicio, ac favore, maximo doctissimorum Virorum conventu, ac frequentiâ, inter clarissimi nominis Antagonistas, Joannem Pinedam, quo viro Societas Jesu nobiliter deinde floruit, & Franciscum de Contreras hominem in paucis, & doctrinâ, & morum integritate, & gloriâ honestissimorum munerum spectatum, Collegarum Ovetensium clamyde grisæâ, ac redimiculo cyaneo post humeros reje-

jecto, quod honoris summum genus est, dignissimâ ornari meruit. Plurima, quæ hîc laudabiliter egit, quia nemo tradidit ignoramus: ad superioris tamen, & consequentis vitæ rationes omnia exegisse quis dubitet? Equidem, ut in ætate, ita in omni virtutum studio, stadioque magnis itineribus semper processisse putaverim: uti sol qui crescit usque ad perfectum diem.

II. Didacus de Corduba auctor est TURIBIUM ALPHONSUM eodem tempore, quo animum hîc Juris utriusque laboriosâ contentione exercebat corpori suo ita nihil indulsisse, ut potius ne ob inediam voluntariam deficeret, ac nimiis vitam afflictationibus opprimeret, pallorem enim in vultu, atque imbecillitatem virium fermè deplorandam contraxerat, moderatore opus habuerit, qui eam severitatem temperaret. Hinc adductum Didacum Monreal Collegii rebus Præfectum Francisco Contreræ, quo TURIBIUS familiarius uti consueverat, id negotii dedisse, ut ei scilicet, auctor esset, ne se eâ vivendi ratione perimeret; indulgentiùs secum ageret, mitiorem adversùs corpusculum animum indueret. His conveniunt, quæ Gregorius Arce Hispalensis, Vir omni doctrinarum genere consummatissimus ex eadem Salmanticensi Academia, Relatoris munus in Limensi deinde Cancellaria consecutus, pro testimonio dixit TURIBII; quo tempore litterariæ clamydis honore, de quo paulo superius memoravi, præfulsit, non solum virtutis, doctrinæ, Sanctimoniæ laudem celebrari quotidianis sermonibus consuevisse, sed & severiorem ipsius vitę institutionem adeo percrebuisse apud omnes, ut de eo tanquam de Viro singulari jam sanctimoniâ prædito, nemo non dignissimè loqueretur.

Ibidem p. 9.

CAPUT VII.

Peregrinatio Compostellana.

I. PER id tempus, scholastico justitio indicto, quo tempore cæteris Jurisprudentiæ Candidatis in amœnos agros, relaxandi animi causâ, dilabi mos est, Compostellam TURIBIUS ad Sanctissimi Apostoli sepulchrum proficisci statuit; quam quidem peregrinationem, quæ amplius CC. millium spatio distat, nec equo, nec calceamentis utens pedibus suis iisque nudis, viliorique habitu contectus conficere voluit; uno

Cap. v. p. 10.

B tan-

tantùm, ut conjicere est, Francisco Contreras, Viro, & morum similitudine, & amicitiæ arctissimo vinculo sibi conjuncto conscio, ac comite. Ubi verò ad locum, quò tendebatur, perventum, in ipso Templi Compostellani ingressu Muliercula genere Æthiops reperta est quæ egenos eos rata (cultus rudis, & attritior; pes pulvere tantùm cœnoque cothurnatus fidem fecerat) æreo nummo minimi pretii egestatem commiserata, donavit. Nec recusavit, aut sprevit Turibius mendico homine dignum munus: at mox collaudata, in re tenui, inæstimabili munificentiâ, gratiisque pro affectu pluribus actis, eidem, quæ dederat æs restituit; faustissima quæque a Deo Opt. Max. illi apprecatus. At Mulier levitatem sui muneris contemni opinata, graviùs inde commoveri, causarique fortunæ suæ conditionem, sibi in eo iniquam, quod majora ab ea non obtinuisset quæ daret: adesse tamen proprius herum suum hominem nobilem, ac divitem, a quo plura si peterent, possent, & sperare, & accipere. Quam animi liberalitatem in muliere Serva summopere admiratus Turibius Alphonsus, postquam suspicione contemptus fœminam liberavit, ita pectori suo consignavit, ita inter immortalis grati animi debita retulit, ut ejus deinceps nullo unquam tempore oblivisci potuerit. Nec tantùm commemoratione frequenti factum laudare, sed & cum Sacerdos rem Divinam privatim primus fecit, & cum Episcopus deinde solemniori ritu, quoties denique ad aram accederet, preces ve Deo funderet; mulierculam illam non ultimo loco, sed inter carissima commendandam proponere sibi consuevit. Sacra hac peregrinatione absolutâ, Salmanticam iterum rediit.

Ibidem p. 11.

CAPUT VIII.

Fidei Quæsitor Apostolicus apud Granatenses eligitur.

I. Apud Granatenses Fidei Quæsitoris Apostolici munus obiisse omnes tradunt, habeturque in Ovetensis Collegii publicis monumentis non obscurè. At si Bonaventuræ Salinas Viro Religioso, neque enim alterius testimonio res confirmatur, fidem habemus, etiam antequam in Collegium adsciceretur, cum Magistratu, in rebus ad fidem Catholicam pertinentibus, Hispali aliquandiu fuerat. Annus tunc Christianus agebatur mil-

millesimus quingentesimus septuagesimus quintus, cum ad eam Provinciam regendam Salmantica discessit. Eâ verò prudentiæ, fidei, diligentiæ laude administravit per quinquennium, ut & omnibus in admiratione esset, & ampliori non impar judicaretur. Magistratus, ut severitatem retinuit, ita animi sui lenitatem exuit nunquam. Criminum vindex sanè perquam acerrimus, at in eosdem minime immisericors pater. Porro quàm inculpatè, sanctèque judicia, totumque illud fidei conservandæ munus obierit, tunc ab omnibus sine dubio perspici potuit, cum controversiis inter Ordines excitatis, Cancellariæ Præses ex supremo Fidei Magistratu impetravit, ut Cognitor Collegio, singulisque ejus Judicibus daretur. Id cum factum, postquam diligentissimè cuncta pervidit, atque cognovit, nihil ex omnibus incorruptum, nullius administrationem integram, & probatam, præter unius Turibii Alphonsi pronunciavit; quamobrem cęteris omnibus rejectis, unus ipse retentus est in ordine Judicum: in quo quidem non illi tantum gradus ab imo ad summum, sed & in mentibus hominum, ea accessio opinionis facta est, ut ab omnibus suspiceretur colereturque tanquam virtutis clarissimum sydus.

CAPUT IX.

Archiepiscopus Limensis designatur.

I. Jam vero tempus erat, ut ad Christiani nominis claritudinem Turibii virtus, celsiori collocata fastigio, emicaret. Morte sublato Urbis Regum Antistite, de successore sufficiendo frequentissimis Indiarum Comitiis seriò agebatur. Ea enim Urbs Peruntini Regni Metropolis est, vulgò Lima. Didacus quippe Gomez de la Madriz Successor designatus quidem antea fuerat, sed mox Pacensi Ecclesiæ præesse jussus, integram Provinciam illam alteri relinquere cogebatur. Nec tam gravis muneris onus, nisi viro qui virtute ac doctrinâ dignè illud sustineret, demandandum. Aderat in consilio Turibii Alphonsi dudum Collega, deinde Auditor in Bœticis, postremo Regius Consiliarius Didacus Zuniga Vir emeritus, genere prudentiâque florentissimus. Hic cui Collegæ carissimi, dignissimique probitas intimè perspecta, eum cæteris omnibus præferendum censuit. Cap. VII. p. 14.

 II. Phi-

II. Philippus hujus nominis Secundus rerum tunc temporis potiebatur Hiſpaniarum Summus Monarcha, non illum Viri virtus, non ſingularis doctrina latebat, quam ubi præferri intellexit, Conſiliariorum ſuorum judicium ſuo lubenter comprobavit. Quibus Turibius auditis, quæ ejus erat modeſtia, excuſare virium ſuarum tenuitatem, delatoſque a Rege honores, cum gratiis ad deferentem remittere. Rex non ex contemptu profectam, ſed ex virtute repulſam admiratus, tres ei ad deliberandum menſes conceſſit: ſperans interea pervinci neceſſariorum precibus poſſe, ut ſuſciperet munus. Nec ſua quidem ſpes illum fefellit: nam licet ægre admodum, ac difficiliter, communibus tamen Collegarum vocibus, amicorum conſiliis, propinquorum ac fratrum precibus, rationibus, ſuaſionibuſque expugnatus, oneri quod ei imponebatur, Dei voluntatem reveritus, humeros ſubmiſit. Duo tamen, inter cætera, ad Archiepiſcopatum ſubeundum illum compulerunt. Primò quod eligeretur a Deo Pontifex tanquam Aaron, nullâ operâ ſuâ, nullo ſtudio, nullâque ambitionis culpâ, a qua omnino procul aberat. Deinde quod ad labores magis pro animarum ſalute, Fideique apud Barbaros propagatione perferendos, quàm ad honores præclariſſimi Sacerdotii ſibi iter aperiretur ampliſſimum. His igitur manus tandem dare victas coactus ad Sacerdotalem Ordinem per ſuos quaſi gradus aſcendere opus habuit; neque enim præter tonſuram, & ſacram veſtem quidquam aliud habebat, quo inter Dei miniſtros rite adſciſceretur. Adeo nunquam animum induxerat ad Eccleſiaſtica emolumenta, aut dignitates, in ſuum familiæve ſplendorem, aut compendium iter moliri.

CAPUT X.

Sacerdotio initiatus, Regi Catholico gratiis actis, Patriâ ac ſuis valedicto, in Indiam navigat.

Ibidem. p. 15.

I. INTEREA dum Romæ Pontificium Diploma conſcribitur, Turibius Philippo Regi, ejuſque Senatui pro collata dignitate gratias acturus, Madritum proficiſcitur. Inde Majorgam patrium ſolum atque Oppidum, Matrem Viduam, Pater enim jam obierat, neceſſarioſque ſibi conjunctiſſimos poſtremò ſalutaturus venit. Nec diu cunctatus, Granatam

Be-

Bæticorum Urbem inde revertitur, ubi quatuor diebus Dominicis, priores ad Sacerdotium gradus fecit; neque enim eodem die, etsi Archiepiscopus Joannes Mendez de Salvatierra ultro operam suam offerret, ac recusanti prope irasci videretur, initiari placuit. Reliquis mox tribus gradibus, pari moderatione per intervalla legibus statuta peractis; jamque Sacerdotio inunctus; Hispali propriis dignitatis delatæ ornamentis Christiano more inauguratur.

II. Jam maturiùs apparatâ profectione, litterisque a supremo Indiarum Senatu acceptis, quibus, & ipse, utpote qui omnium Princeps ab Hispania ad illius Provinciæ administrationem navigabat, peculiaribus privilegiis ornabatur. Ut Navigio ex omni Classe lectissimo uteretur, ut servos, quos vellet, convehendi esset facultas, ut pecunias, libros, domesticum omne Instrumentum, remissis vectigalibus secum ferret, atque hujusmodi aliis simul Regulo ejus Regionis imperabatur, ut Pontificio domicilio apparatissimè instructo, honestissimè excipi venientem curaret, ut quæ opus ipsi forent non negligeret. Auctus præterea a Rege dimidiâ redituum parte, quos per illud Pontificium Interregnum, ab excessu nimirum Hieronymi Loaysæ Antistitis, Limensis Ecclesia Sacerdote suo viduata sepofuerat, Anno a Partu Virginis quingentesimo octogesimo supra millesimum Marco de Aramburu Regię Classis Pręfecto, solvit Turribius, & Atlantici Maris vastitate superatâ ad Portum de Nomine Dei nuncupatum feliciter pervenit.

CAPUT XI.

Duplici periculo, adversâ navigatione belluisque marinis, eripitur.

I. E Portu a Nomine Dei nuncupato inde progressus, multisque exantlatis laboribus, ad Portobellum appulit classis, ex quo loco ad Urbem de Panama, & in Oceanum Australem aperitur ingressus. Navigatione in his locis nihil incommodius. Intervallis quidem si cum cæteris conferantur, minimis, periculis verò perquam maximis confici solet; ingentes enim fossæ superandæ, quæ aquarum montanis ex jugis magnâ vi dilabentium impetu cœnosoque tumultu oppletæ, haud facile dictu est quantum trajicientibus periculum minitentur,

Cap.VIII. p.17. tur, ac ferant. Inter has fossas ea, quàm Chagre appellant, TURIBIUM profectò nobis abstulisset, nisi illi cœlestis manus ad fuisset. Hæc immanium ferarum, Indigenæ Caimanes vocant, ferax est, quarum vis, moles, truculentia tanta est, ut non hominum solùm, sed & Taurorum, in continenti, si quos conspicantur, viva corpora, abripiant in vadum, ibique præfocatis, profundissimæ voracitatis ingluviem saginent. Igitur hanc TURIBIUS ALPHONSUS, dum trajicit, jumento quo vehebatur minus morigero in profluentem excutitur. Nec mora, ex hujusmodi monstris duo ad prædam casu suo excitavit, quorum truci aspectu, plusquam casu cõsternatus, ubi nihil ad salutem aliud sibi superesse animadvertit, nisi, ut Dei liberatoris auxilium imploraret, piis ad eum precibus fusis ita præsens expertus, ut nec mergi vadis, nec tangi belluis potuerit, seque priùs in continenti esse viderit, quàm qua ratione intellexerit, se tanto in quo versabatur periculo ereptum.

CAPUT XII.

Limam petit, ubi honestissimè excipitur.

I. HIs tandem, aliisque permultis defunctus incommodis, ac navigationis penè immensæ difficultatibus eluctatus ad IX. Calendas Junias, alterius a digressu anni ad Urbem Provinciæ suæ Sedem pervenit anno ætatis tertio supra quadragesimum. Ejus adventus summâ omnium voluntate, honore, amore exceptus est. Nihil relinquebatur, quod ad ornatum viarum, Portarum, locorumque omnium, quâ Præsul ornatissimus transiturus erat, excogitari posset. Nullius Academiæ studium, nullius Religiosæ familiæ officium defuit. Ordo omnis sacerdotalis, Equestris, omnis cum liberis multitudo, Magistratus denique omnis obviam iere. Faustæ ubique acclamationes, læti clamores exaudiebantur, dum per fora ac Regias Porticus, sub umbella incedens, ac manu Crucem sublatâ exprimens, ad suam sacram Ædem procederet. Suscepto Ecclesiæ regimine, non levibus ejus animum curis agitavit, minus felix Ecclesiæ suæ status in quo illam diu suo Pastore quo regeretur carentem, offendit. Ipsius adventu, omnia quæ antea sublapsa, in melius referri cœpta. Hîc non alienum fore putaverim Ecclesiæ ejusdem dignitatem, Urbis amplitudinem,

(Margin: Ibidem p. 18. — beside "ac navigationis…"; Ibidem p. 18. — beside "sublapsa…")

nem, locorumque, & gentis naturam, ex aliorum fide, prout tanta longinquitas fert, paucis demonstrare, non parum enim cùm sequentium rerum narrationi, tum Turibianæ vitæ splendori, video hæc lucis allatura.

CAPUT XIII.

Urbis Limæ, ac Provinciæ, quæ natura & amplitudo.

I. AMericæ Australis princeps Urbs Regum. Limam jam omnes ferè vocant. In Valle sita est ubi olim Rimac Idolum vanissimâ superstitione colebatur. De ea Auctores alia alii vera, ficta, prout in originibus ejus indagandis, studium illis, aut incuria. Is locus ubi nunc Civitas, infrequens olim. Agresti tantùm multitudine atque eâ tenui, Oppidulum quatuor inde circiter milliaribus distans, nunc verò dirutum suisque ruderibus oppressum jacet, habitabatur. Cęterum antequam nostris hominibus pateret hæc Vallis, legique, ac Regi pareret Christiano, & Catholico, Ingarum Imperio obnoxia fuerat. Provinciæ universæ nomen, vetus Oppidum, ac cæterorum princeps, huic Idolum insigni fano ac superstitione ibidem olim cultum dederat Pachacamac. Is omnium Deorum Maximus, ac toti Provinciæ communis. Erant, & sui singulis locis, ac Vallibus Dii privati, & cognominis, uti huic qua de agimus, Rimac. Causa ejus nominis ab eruditis illius Regionis ea certa traditur; quòd figurâ humanâ simulacrum voces, & responsa edere consuesset. Rimac enim iis gentibus loquax est, cui Pachacamac Idolum aliud opponeretur, Elingue nimirum ac mutum. Cap. 11. p. 18.

II. Hîc igitur loci superioris sæculi decimi quinti anno quinto, ac trigesimo, ad xv. Cal. Febr. Vir ille fortissimus, atque Hispanâ nobilitate clarissimus Franciscus Pizzarrus Urbis hujus magnificentissimæ fundamenta posuit, REGUMQUE appellavit, in Caroli Quinti, & Joannæ ejusdem Matris memoriam monumentumque sempiternum, locum ad omnem vivendi usum natura commodissimum nactus. Oceano quippe ad pauca passuum millia recedens, marinis infortuniis tam procul est, quam proxima commoditatibus. Orientem solem prohibent juga montium adeo celsa, Joanne Petro Maffejo auctore *Indicarum Historiarum lib.* 2. ut ipsos avium volatus fati- Ibidem p. 19.

fatigare dicantur. Latus quoque montes utrumque coërcent; amœnas ubique valles, latas agrorum planities relinquentes, ubi feraci ubertate, augendas effundit opes, cùm varias, tum plurimas, frumentum, vinum, oleum fruges ad incolarum non tantùm usus, sed & mercaturas. Urbs æquo solo condita Cęlo utitur sereno & saluberrimo, prospectu jucundissimo, iis omnibus abundans, quæ ad usum, honestatem, voluptatem expetuntur. Imbre, nive, tonitru, procellis caret, minutissimis tantummodo stillicidiis nonnunquam irroratur, ager tamen semper virescens, derivatis irrigatur fluminibus, quorum toto Regno plurima, ac maxima è locis editis dilabuntur. Nives affatim ad æstivas delicias proxima juga sufficiunt. Hîc ver penè perpetuum, vix brumæ, vix æstus vicissitudines sentit. Totius anni, aut constat temperies, aut gelu minimum. Urbem Limam si eminus spectes, non admodum illustrem censeas, domorum quippe fastigia, ut pluviarum, sic tectorum expertia, rudiori cespite, storeâque teguntur; Ædificia quoque non multum in sublime erecta, non artis elegantiam, operisve magnitudinem pręseferentia, ob magnos ac frequentes motus, quibus regio laborat. Cęterum domestica suppellex si usquam gentium, ampla, dives, invidiosa, in hac maximè Urbe. Templa publica, ędificia, Collegia, etiam magnificentiam ostentant, è quibus pleraque, atque amplissima, quę a Viris Religiosis obtinentur, sanctimoniâ ęquè, ac doctrinis florent. Basilica, & antiquitate, & opere cęteris pręstat sub Evangelistę Joannis auspiciis Deo dedicata. Huic Paulus III. Pontifex Maximus Anno salutifero millesimo quingentesimo quadragesimo primo pridie Idus Majas Diplomate super ea re confecto, totius Regni Principatum imposuit, ac duobus post annis Hieronymum Loaysam primum omnium Antistitem pręfecit. Pręfecti Provinciarum, quos Proreges vocant hîc locum habent. Hîc maximi Episcoporum, quem Metropolitanum dicimus, certa Sedes.

Ibidem p. 20.

Ibidem p. 21.

III. Amplissima hujus ditionis confinia, longè latèque per Provincias, & ingentes, & multas se profert Præfectura; nam decem, Turibio superstite, numerabantur, spatiis ferè immensis terræ marisve distractæ. Ex his, quæ minimum, sexcentis passuum millibus distat. Quædam ultra duo millia quadringenta. Nunc nonnullæ, diminutâ Limensi Præfecturâ, alieni juris

esse

effectæ. Antiqui fines duo millia quadringenta passuum millia circuitu amplexi. Diœcesis Quitensis confinia a parte Australi respiciebant, ab Aquilonari verò totam Quamangensem, atque Arequipensem ferè totam includebant. Hodie Provinciis Truxillensi, Arequipensi, & Quamangensi abjunctis a Flumine Santa ad Arequipensium usque, & Quamangensium fines, tota Limensium ditio protenditur. Cæterum totius Regionis mira natura, mira varietas. Littora ab Oceano in latitudinem quadraginta ferè passuum millium excurrunt. Olim frequentissimis oppidis, hodie paucis habitatur, planioribus locis non perinde salubritate cęli quàm ęquitate soli, ad habitationem idoneis. Flatus ab Austro perpetuò spirantes, alibi graves, nimbosi, pestilentes, hîc non saluti tantùm incolarum, sed & serenitati conspirant, alioquin non solis ardor, non aër noxius ferri possent hoc toto tractu, præsertim pluviarum nullo beneficio. In eo Lima, Truxillum, & aliæ Urbes insignes. Ab ora maritima, colles ad sexaginta passuum millia occupant latitudinis, inter quos magnæ, ac frequentes convalles ob soli bonitatem fertilitatemque nobiles. In his Urbes, atque Oppida celebriora Aræquipa, Guamanga, Cusquum, Quitum. Andes denique ejusdem ferè latitudinis succedunt. Longitudo verò earum millia passuum M M M M. esse creditur. In his Indorum major frequentia, tametsi eâ sunt asperitate, ut adiri posse vix videantur, nedum ab hominibus habitari: quo tamen auri sacra fames non iter aperuit? Metallorum cupiditas, quibus ea juga abundant, cœlique salubrioris amor, pluribus mortalibus, sedes collocare hîc persuasit. Incolunt Condomarchii, Cacapoii, Abancaii, Guamalienses, Andes, a quibus his jugis nomen, Chincacaii, Jungæ, Guamcabambæ, aliæque barbarorum nationes innumeræ.

IV. Andium hujusmodi ordines duo, inter se æquè distantes perpetuis jugis altitudine certantes, sed sub eodem omnino axe, diversas inter se naturæ conditiones sortiti. Alter Sylvarum viridi opacitate vestitus, perenni propemodum decidentium cælo imbrium humore perfunditur, gelu expers, ac nivis, lætis pascuis, variis pecorum generibus abundans. Alter contra sterili nuditate squallens, gelu, nivibusque altissimis tegitur, nunc serenitate, nunc nubilo, nunc pluviâ, nunc udo vicissim vtens, nullum gramen, nulla arbor, nullum pecus, nisi fortasse immite ac ferum, aut gignit, aut nutrit. Inter hos va-

 sta

sta arvorum planities jacet, ubi Collaum Provincia sita est. Fluminibus, torrentibusque crebris, è summo defluentibus alluitur, nec exiguam partem occupat palus, quam Titiacam vocant. Haud admodum hîc tellus vbertate fœlix, ad fruges, ad nemus alendum, communem cum jugis naturam sortita, pecoribus tamen aptissima est, graminum copiâ, cæli salubritate, incolarum frequentiâ nulli concedens. Arboribus, & frumento caret, quorum defectum sativi graminis radicibus simillimis tuberibus, quod Papas vocant, & in panes redactis compensant. Hæc de Urbe Regum, totâque Provinciâ satis. Jam ad Mogrobesium nostrum redeat sermo.

CAPUT XIV.

Ad Sacerdotalia Comitia Provinciam cogit.

I. HAnc igitur talem, ac tantam nactus Provinciam, alienissimis Reipublicæ illius temporibus Mogrobesius noster nihil habuit prius & antiquius quàm ut & vitę exemplis inculpatæ, & optimarum legum institutis devinctam, uno quasi fidei, & Religionis vinculo, in rectum salutis iter traduceret. Principio ex omnibus, quibus præerat Provinciis suffraganeos Episcopos coïre ad Concilium Limam jussit litteris ad singulos ea de re datis, quorum adventus cum propter itinerum longissima spatia maturari paucis diebus non posset, ne qua interim temporis particula, rebus suæ curæ traditis, deperiret, Provinciæ ipsius cognitionem instituit. Ubi verò Patres adesse intellexit, in Urbem regressus, nonis sextilibus, anni ab Orbe reparato millesimi quingentesimi, octogesimi secundi, die dedicationis S. Mariæ ad Nives sacrâ primum Conventum habuit.

Cap.xi. pag.33.

II. Hoc porro Concilium, omnium primum, ac celeberrimum iis in locis fuisse habitum, nemo est qui neget, aut dubitet. Nam etsi quo tempore Hjeronymus Loaysa præfuerat, bis advocato cætu nonnulla statuisset superioribus annis, quæ Conciliorum nomine ferebantur, re tamen verá rudimenta potius, atque imagines quædam ea fuerant, quàm Concilia, quorum neutri firmitas a Romano Pontifice accessisset, alteri ne Concilii quidem facies. Interfuere é decem Provinciis subjectis, Antistites septem, tres, Popajanensis, Panamensis, Nicaraguensis desiderati; longi itineris difficultatibus prohibiti, an ægritudi-

tudine; an alia ex causa ambigitur. His comitiis interfuit pro Rege Catholico Provinciæ Præses Martinus Henriquez omnibus prudentiæ, amplitudinis, probitatisque numeris vir absolutissimus. Interfuere tum divinarum litterarum, tum sacri civilisque juris prudentiâ, tum denique omni disciplinarum genere florentissimi, quique iis in locis, eâ tempestate nomen aliquod habebant. Nec mora, nec diligentia defuit; quindecim quippe penè menses gravissimarum rerum deliberationibus dati, in quibus non ultimum locum obtinuere, quæ ipsemet Præsul Turibius in suo ad Clementem VIII. Pont. Max. commentario memorat. Decreta permulta, libri ad Christianæ Eidei rudimenta, atque institutionem pertinentes, tribus linguarum generibus, quibus Hispani, atque Indigenæ u tuntur, conscripti, atque editi. Præscripta quædam excipiendis sacris confessionibus prudens forma: tradita sacris Oratoribus non contemnenda monita, & argumenta concionum: Præfectis ad cognoscendas Ecclesiarum res, quos Visitatores dicimus, facilis agendi ratio monstrata. Ecclesiastica jura in compendium redacta, & alia hujusmodi. Ibidem pag.34.

CAPUT XV.

Actio in Præsulem Cusquensem: TURIBII *operâ a Concilio ad Romani Pontificis judicium rejicitur.*

I. Tantam Christianæ illius Reipublicæ utilitatem, multis, ac variis modis impugnare morarique humanæ gentis adversarius, non omisit. Arietem omnium validissimum ab Episcopo Cusquensi mutuatus Sebastiano Lartaun huic nomen, homini in primis gratioso, ac diviti, a quo tamen in Ecclesiastica Provincia gerenda multa cupidè, multa iniquè facta ab accusatoribus ferebantur; judicio Concilii vindicanda & damnanda. Ille qui gratiâ plurimum apud Judices, pecuniâ æquè se posse ad judicium labefactandum, omnemque accusationem evertendam sperabat, ita securè, ita sine metu agere, ut si omnium suffragia in sua potestate nutuque versarentur, possetque Patrum plerasque sententias pecuniis emere, quò vellet impellere. Quod ubi subodoratus Turibius ne quâ fraude, fas eo fœdiori Ibidem pag.35.

 exem-

exemplo, opprimeretur, quo ante fuerat ab illo peccatum, omni ſtudio, ac diligentiâ contendit, ut ejus accuſationis judicium a Concilii Patribus integrum ad Romanum Pontificem transferretur. Perculit inopinati judicii translatio hominem, totamque abſolutionis ipſius rationem turbavit. Non gratiâ, non auro, Romæ cauſam pro ſe perorari poſſe videbat, ubi Turibii jam nomen, & virtus plus poſſent. Quo innocentiam ſuam demonſtraret argumento, tot juratis teſtibus tot tabulis exagitatam, damnatam? Ut ſceleris expers eſſet, minimùm tamen ſibi fidei, Præſuli Primario plurimùm habendum. Omni proinde ſibi vi, ope, contentione elaborandum, ut ne ea judicii translatio fieret. Et ſanè cùm per ſe, tum per amiciſſimos ſuos Franciſcum Victoriam, & Alphonſum Granerum, alterum Tucumanenſium, alterum Platenſium Pontificem ſtrenuè reclamavit, ac reſtitit. Poſtquam verò nihil ſe proficere contentione animadvertit, fraude ſibi conſulendum putavit, accuſationis ſuæ tabulis, ne Romam tranſmitti poſſent, interceptis.

II. Nactus igitur commodum tempus, quo Turibius adeſſe non poterat, a Bartholomæo Menacho, a Concilii ſecretis, homine integerrimo, ſummâ prudentiâ, ſummâ doctrinâ, ſummâ fide, ornato, multis primùm precibus efflagitat, ut confectas judicii ſui tabulas, quæ apud eum ſervabantur, è pluteo producat, ſuæ fidei committat, ſua plurimi intereſſe, quædam in eis ſcripta cognoſcere, gratias ſe immortales, atque integras, ut accepiſſet, habiturum. Mox ubi nihil ſimulatarum rete precum traxiſſe videt, nullâque ratione decipi poſſe oculatiſſimum virum, negantem nimirum licere, ſibi rerum ſuæ fidei creditarum cuiquam facere poteſtatem; tum verò precibus in minas commutatis, irâ ardens, extorquere per vim, ab homine plutei claves aggreſſus eſt. At eas, ſeque defendente Menacho, ut obtinere non potuit, in opportunius tempus facinus reſervavit. Commodùm paulo poſt Martinus Henriquez Provinciæ pro Rege Præfectus ad immortales conceſſit; cujus partes, dum illi ſuccederetur, Antonius Cartagena Audientiæ Præſes, interea ſuſcepit. Is Cuſquenſis amiciſſimus, quia in Concilio locum pro defuncto Principe obtinere opus erat, omnia pro neceſſitudine facturus, quæ ille vellet, videbatur; adeſſe proinde tempus maximè idoneum ratus Cuſquenſis, intercipiendarum tabula-

Ibidem pag. 36.

rum,

rum, eo majori vi facinus rurſum aggreſſus eſt, quo hominis potentiis, atque amici auſpiciis plurimùm in Civitate, minimoque periculo ſe poſſe ſperabat. Et quanquam cùm ſuperioris audaciæ exemplo, tum novæ metu, tabularum a Menacho cuſtodiam Turibium ad ſe tranſtuliſſe ſciebat, nihilominus tantùm potentiæ, tantùm amicitiæ, ne dicam amentiæ tribuebat! neque ab impudentiſſimo auſu Viri ſanctitas, neque ab inferenda vi dignitatis ſublimitas, abſterrere eum potuerunt. Ad ipſum Turibium armatâ ſervorum, atque amicorum manu adire conſtituerat, ab eodem tabulas, niſi ultro cederet, extorquere, flammis in ejus oculis dedere. Ne ad exitum rem nefariam deduceret illud prohibuit, quod non adeo agi potuit occultè quin a Prætore Urbano deprehenderetur.

III. Franciſcus Quinones per eos dies erat Turibio non amicitiâ tantùm, ſed affinitate conjunctiſſimus, cujus Sororem Grimaneſam in matrimonium duxerat, qui audito Cuſquenſis conſilio, ne incendium inde excitaretur infinitum atque immenſum, maxima cum celeritate, tum diſſimulatione, emicantem ſcintillam opprimere conatus eſt. Continuò aſſumptâ Cohorte ad Turibii auxilium venit, locum, atque hominem a vi defendit: quod atrociſſimè ferens Cuſquenſis, doloris ſui acerbitatem non celavit, parumque a tumultu res abfuit, magno totius Civitatis, propter facinoris indignitatem, ſtomacho, atque offenſione. Nec verò exinde a furore temperavit, aut modeſtius ſe geſſit, Capiti ac Principi ſuo ſemper infenſus, cujus quia vitam violare non poterat, famam atque exiſtimationem labefactare, depravareque quovis potuit modo, non deſtitit; quamobrem paulo poſt Divini judicii telo perculſus, re infectâ, ad plures abire cogitur. Antonius Pinellus Legionenſis Turibianæ Vitæ Scriptor, exiſtimat eorum judicium non infirmum, qui putant, ſub vitæ finem ad mentem ſanam hominem rediiſſe. Illud tamen conſtat, reliquiſſe poſt ſe familiariſſimos Viros, qui ſimultates doloreſque ſuos proſequerentur, Platenſem, ac Tucumanenſem Antiſtites. Hi duo viri partim ſuis, partim amici defuncti offenſionibus adducti, multis ad Catholicum Regem per litteras de Turibio conqueſti, res in Concilio ab eo geſtas criminantes pro affectu, & dolore enarrantes. In iis Epiſtolis quædam ſibi non conſtantia, auctores ipſos contumelioſos malignoſque arguebant, inculpabilis enim vitæ ſceleriſque omnis purus

Ibidem pag. 36.

purus ferebatur idem, cujus res gestas criminari adeo contendebant.

IV. Quibus Rex animadversis, ac sinceriùs exaratis ex aliorum multorum litteris, eorum in Concilio quę gesta erant minimè nescius, Regio adhibito Senatu, acri ejus increpatione pro responso invectus est. Non se ignarum de eorum in Concilio agendi ratione, nosse quantum ii suis dissensionibus, & factionibus, justitiæ, atque expeditissimis alioquin rebus, unde cultui Divino, & Christianæ rei apud eas gentes incrementum fore videbatur maximum, incommodassent, qui tamen pro sua dignitate, ac munere Sacerdotali, maximopere debuissent eas, & promovere, & juvare. Quo populi exemplo, talia Sacerdotes dilitigent? Perspici autem dilucidè in Epistolis ipsis ad se scriptis invidiam, nec latere in accusatione doloris venenum, quo impiè, ac contumaciter, Metropolitanum suum, petiissent, Virum summo honore, ac veneratione dignum, quemque ore suo Vitæ inculpatæ faterentur.

V. Acceptis hujus sententiæ ab Rege responsis, speque omni victoriæ destituti Antistites, cessare tutiùs, quàm adversis fatis, & hominibus, navigare censuerunt. Itaque coutroversiarum flamma omnis sopita, resedit.

CAPUT XVI.

Adstipulatio Sedis Apostolicæ, ac de ipsius Concilii promulgatione, atque usu pauca.

I. Quibus omnibus tandem rite confectis, Concilii ipsius acta, quoniam non firmiſſimè, nisi, animadvertebat prudentissimus Præsul, nisi Romani Pontificis suffragio rata probarentur, ad eum postquam Comitia dimissa sunt, Romam deferri curavit; quo facto, atque ea rursus a Patribus Sacri Concilii Tridentini Interpretibus diligentius expensa, & comprobata, Apostolicæ insuper auctoritatis judicio rata rediere, per provincias ab Sacrarum rerum Præfectis promulgari, ut quàm fieri posset diligentissimè servari, jussit: qua in re, quia incredibilis jam expectatio, atque opinio omnium animos præceperat, leviori brachio elaborandum fuit, ut ea summâ voluntate ac studio acciperentur, quæ synodus ad Vitæ, ac morum, vel correctionem, vel institutionem censuisset.

Nec

II. Nec verò intra Limensis tantùm Provinciæ fines, ejusmodi Concilii pretium atque utilitas stetit. Percrebuit apud finitimas Provincias, ac longè latèque ad alias Americæ gentes manavit. Accepere summi Antistites Chuquiabensis, Barrancensis, Guamangensis, Arequipensis, Truxillensis, quique iis Gentibus quæ ad Argenteum flumen incolunt, quique novæ Boeticæ populis præsunt. Chilensis præterea, & Papajanensis, Chartaginensis, & Nicaraguensis, atque alii ad Diœcesium suarum eruditionem, & formam, nihil a se melius in sui Sacerdotii Provinciis nasci, aut perfici posse existimantes - Quo Concilio, etsi omnia, quæ ad optimam rerum administrationem pertinent ita complexus erat Turibius nihil ut desiderari, nihil addi posse videretur, Tridentinæ tamen Synodi ne non servantissimum se ostenderet, non omisit consequentibus mox temporibus ad ipsius præscriptum, quin Provinciales conventus revocaret: præter coactas ex Diœcesi frequentes Sacerdotum Synodos, nunquam in iis, quæ ad animarum curam pertinent, sibi ipsi omnino satisfaciens.

CAPUT XXVII.

Ephebium, seu Seminarium TURIBIUS *extruendum curat.*

I. Dimisso Concilio Turibius ad rem in iis quidem Orbis terrarum regionibus adhuc novam, etsi ab aliis, qui antea præfuerant sæpius propositam, nunquam tamen ob eluctabiles difficultates deliberatam, Christianæ verò Reipublicæ in primis necessariam, atque ab Tridentino Synodo maximopere, & commendatam, & imperatam, omnem curam cogitationemque convertit. Nam quia ut neglectu culturæ, optimis quoque novalibus commendata semina degenerare, veprefque innasci bonas fruges oppressuros, ita in Ecclesiæ agro, nisi a prima ætate puerorum ingenia pietatis ac disciplinæ cultu apprime excolerentur, vitæ ac morum pravitati maximè exposita atque obnoxia fore prævidebat.

Cap. XII. pag. 45.

II. Huic communi incommodo ut consuleret, essetque in Urbe locus, unde demortua per Provinciam auxiliariorum virorum plantaria facilè reparari tanquam ex Seminario possent, Athenæum ædificari jussit, ubi certus Adolescentium numerus pu-

publico sumptu inter optimas disciplinas morumque præceptiones enutritus, ad Religionis propagationem, Christique fidelium curam, tum deinde adultâ cum ætate probitate ad administrandam Ecclesiam educi posset. Ad hæc non parum momenti adjungi ex ipsius Regis Catholici auctoritate, certâque voluntate videbatur, a quo in Provinciam dudum proficiscenti, inter alias, eam rem sibi impensius commendari meminerat. Nec Patrum quidem in Comitiis Consultorum summus nuperrime consensus defuerat, nisi illud unum maximè omnium alienos animos effecisset, quod in annuos Ephebii redditus, singulorum privatos census delibari oportebat. Adeo publicæ rei ratio jacet ubi privatæ nimia est. Enim verò non tanti Turibio fuit, quippe qui non quæ sua erant quærere, sed quæ Jesu Christi ex Caritatis institutione didicerat. Quâ igitur dicendi facultate, & quâ præceteris auctoritate dignitateque pollebat, in Concilio usus, eò tandem adduxit Patrum suffragia, ut singulis nummorum è centenis a locis, aut personis Ecclesiasticæ Jurisdictioni obnoxiis, tres hujusce rei causâ penderentur quotannis, quam tamen pensionem non ante exigere cæpit, quàm cum Rege Catholico Romanum Pontificem, de ea deliberatione certiorem fecit, secumque sentire intellexit, cùm ne qua interea temporis adversario, neque enim omnes consenserant, perturbandæ rei ansa daretur, tum quia omnem consiliorum suorum rationem supremi capitis judicio pendere, probarique tutum æquè, ac necessarium illud munus gerenti, ut exactè quà humani, quà divini judicii calculis responderet existimabat. Postquam verò Pontifici Maximo, Sixtus V. eo tempore Christianæ Reipublicæ præerat, placere quæ fuerant decreta de annuæ pecuniæ pensione cognovit, ad hæc regio jussu magnopere impelli, nihil jam cunctandum sibi ratus Turibius, continuò locum omnium maximè ad ædificationem idoneum suis impendiis deligi ducique opus, quàm fieri celeriter, ac diligentissimè posset, curavit.

Ibidem p. 46.

CA-

CAPUT XVIII.

A Prorege turbae, ac litium semina:

I. HIc nescio quibus suis potius rationibus è Politicæ sinu depromptis persuasus, quàm Juris alicujus patrocinio, aut specie, Regi Collegium, Alumnorum designationem omniaque alia adjudicanda impotenter contendebat, Redditus enim, ne ex personis quidem, aut locis Ecclesiæ subjectis conflari posse integris ærarii regii rationibus, cui ejus Regni cuncta penderent censum: si conflarentur, iis quicumque uti deberent, Regibus obnoxios esse eos oportere. Contra Præsul fortissimé sacra jura tueri: nihilque iniquissimæ Proregis contentioni concedere. Rem Tridentini Synodi decretis non obscurè constitutam, negligi abs se neutiquam posse. Ab iis, ad quem Collegium, ad quem Alumnorum designationes, ad quem jus omne ac redditus pertinerent, Regibus ne an Episcopis, cognosceret. Eam vero reddituum colligendorum rationem præterquam quod ex jure, atque æquo factam, Pontifex Maximus, Rexque ipse censuerant, nihil Regiis fiscis, nihil juribus incommodare. Quid quod tota penè ea ædificatio, non ex publica, sed pecuniâ suâ privatâ creverat? His artibus non demereri sibi Regem speraret, potius offensurus, rem Catholico homine, nedum Rege minime dignam, nomine ipsius ausus: sibi quidem a Rege Seminarii ędificationem magnopere commendari, hujusmodi autem suę voluntatis, aut jurisdictionis, ne mentionem quidem fieri in mandatis. Ibidem p. 47.

II. His non tam non persuasus, quàm magis etiam efferatus animus Regii administratoris, is erat Garzia Nurtado de Mendoza, irâ præceps multa egit, dixit in Sanctissimum Sacerdotem, nec dignitati suæ, nec Provincialium exemplo satis commoda, Regi quoque & Consiliariis ejus displicitura.

CAPUT XIX.

Vnde inter Antistitem ac Regium Præfectum simultatum origo.

I. QUo tempore Lima ædificari cæpit, quibusdam certis locis Indorum gens, quæ ex finitimis populis ad ædificationem confluxerat, incolere jussa est. His numero non Ibidem p. 46.

pau-

paucis, ac diversè habitantibus, Christianæ eruditionis beneficium, ob Ministrorum tunc temporis paucitatem, ægrè impendi posse videbatur. Occurrere huic incommodo putavit Regius Præfectus Lupus Garzia Castrensis, si quæ intra Civitatem Indorum erant sparsim sedes venirent, atque ex earum pretio agri suburbani quantum ad eorum omnium simul habitationem satis esset, emeretur. Ita factum, omnisque Indorum Natio, Urbe exclusâ, in Suburbiis consedit.

II. Non multò post Franciscus de Toledo Regius Prefectus, crescente in dies multitudine, atque ędificiis, omnem locum sepiri jussit, ac vallatum S. Jacobi nomine nuncupavit. Vulgus tamen obtinuit, ut Cercatum, Hispanico vocabulo diceretur, eo quod locus ille circundatus esset. Hæc circa annos a Christo nato 1571. gesta erant, cum ab eodem Præfecto ne quid ad Christianam disciplinam spectans, inter eos desiderari posset, accersitis è Societate Jesu Doctoribus, totam erudiendæ multitudinis provinciam commisit. Erat contra ex altera fluminis parte, quod Rimach appellant, urbemque Limam, cui corrupto vocabulo nomen dare creditur, interfluit, suburbium ignobile, ac perexiguum Sancti Lazari nomine, quò Piscatores ex Indorum genere ferè septingenti se se casis extructis receperant. Sacra quoque illis Ædes, ubi ex Sacerdote ab Antistite dato, res divinas audirent, ac discerent.

Ibidem p. 47.

III. Hoc Suburbium seu Reip. incommodare ratus, seu commodum privatę afferre Hurtadus Garzia de Mendoza Regiâ Pręfecturâ potitus, Pinellius Comiti Villorensi id factum adscribit, illud amoliri, Incolis in aliud Suburbium transmigrare jussis, instituit. Sunt qui dicant, Mogrobesium nostrum per id tempus in cognitione Provincię absfuisse. Reclamatum tamen pro eo absente ab Œconomis. Eam Doctrinam, sic Ædium Sacrarum Pręfecturas appellant, ad Pręsulem Limensem pertinere, non posse sine injuria atque offensa ditionis, eo absente atque ignaro, ad alios aliò transferri. Convenisse itaque servandi Juris causâ, ut Doctrina quidem illa tolleretur, cęterum Limensi Pontifici integrum esset, ut antea, Doctorem ex suis Clericis ad quoscunque transferretur dare. Sicque ad Turibii usque reditum res deducta.

IV. Regressus in Urbem accepit ab Œconomo, Doctorem è vivis cessisse, cui cum Successorem Turibius dare vellet, a Pręfecto non permissum contendente è duabus Doctrinis unam factam,

ctam, nihil ultra Juris Pontifici dandi eruditorem manere. Hinc omne discordiarum principium; quibus Turibius multùm diuque exercitus sibi non defuit, in id sedulò intentus ut jugibus constantię patientięque exemplis, sui non oblivisceretur officii, suamque dignitatem conservaret.

V. Accedit, & alia ab ambitione causa. Honores enim insuetos in Sacra Basilica affectanti Pręfecto, Pontifex haberi cum vetuisset, servandaque secundi Concilii Statuta dixisset, in illius offensionem adeo incurrit, ut rebus divinis publicè interesse in Basilica deinceps ille abstinuerit, omnemque Sanctissimum Sacerdotem insectandi ansam arripere non dubitarit.

CAPUT XX.

In Insignia Pontificis Regius Præfectus desęvit: factum æquanimiter a Turibio *fertur, a Rege improbatur.*

I. Itaque, quemadmodum superiùs demonstratum est, Collegii jura turbare, atque ab Antistite ad Regem transferre, impotens doloris Prorex prius aggressus, ubi repugnantem Pręsulem sensit, ad singulare improbitatis atque injurię facinus venit. Illud quale fuerit, jam paucis expedio. Cap. 13. p. 48.

II. Insignia Familię Mogrobesię gentilia marmore insculpta, quod unum operis a se perfecti monumentum, ut poneret, nullo suo elogio, nullo titulo vix exorari potuerat, conspicua atque edita ad fores Collegii Turibius collocarat, quę res ita Pręfectum commovit, ut statim misso excubitorum Duce cum militibus, fabris, ferramentis, Pontificis Insignia, per summam vim atque injuriam, amoveri loco, disturbarique jusserit. Quod factum quantùm, proh Deus, optimo cuique indignum visum est, ac detestabile! Tota Urbs atrocitatem criminis deploravit, ac veluti prę horrore contremuit. Omnes hominis furorem improbare, omnes Pontificis injurias sentire. Contra ipse tanti fecit quanti rem nihili. Nulla ejus animi, nulla oris perturbatio deprehendi potuit, summa verborum modestia, incredibilis animi Ibidem p. 49. potiùs ęquabilitas. Nemo tantę Virtutis robur non cum admiratione suspexit. Fuerunt tamen quibus non ferendum scelus videretur impune, hortabanturque, ut armis, & ipse suis, hoc est sacris censurarum fulminibus injuriam persequeretur. Quibus

 ille:

ille : *Absurdum*, ait, *& Christianæ Caritatis ingenio alienum, anima sua jacturâ, alienæ pernicie se se ulcisci. Omnia Judici Divino integra relinqui præstare. De se quidem eum pessimè meritum iis contumeliis hominem, dignitatem tamen in se Sacerdotalem Deumque ipsum in ea Optimum Maximum, specie publicæ utilitatis non leviter violari, illud enimverò unum sibi esse pergrave, maximèque molestum.*

II. Cęterum non omnino sibi connivendum putavit, ne modestiâ suâ, ac patientiâ, Pręfecti ad hujusmodi perpetranda audaciam aleret atque impotentiam. Atque equidem, ut his, si fieri posset, consuleretur incommodis, litteras ad Regem Catholicum, ejusque Consiliarios de ea re fidelissimè scriptas dedisse non dubitaverim. De Pręfecto enim quis dubitet? Sed eas criminatrices, nec ad Causę ęquitatem, sed rebus a se gestis, ad libidinem accomodatas, quibus in Hispaniam perlatis, gravissimè tulit Rex piissimus, quique ei a Consiliis aderant Senatores, iniquissimam adversus Antistitem, Pręfecti contentionem, atque improbissimum facinus. Epistolas proinde ad eum cum mandatis misit: Ut deinceps hujusmodi contentionibus abstineret, molestiamque ullam Antistiti inferre caveret: cæterum rem integram illi, ac liberam, tam quod ad Conturbernalium, ac Ministrorum designationem, quàm quod ad Collegii ipsius administrationem relinquerent. Gentilitia autem ejus Insignia, cum Regiis, ut libuisset, reponi non prohiberet.

Ibidem p. 50.

III. Ita Præfecti licentia coërcita est, sed Turibius modestiâ singulari, atque incredibili, victoriam sic temperavit, ut alieni vulneris acerbitatem, suam existimare visus fuerit, nullá re lætior, nisi quod pro ęquitate, Deoque pugnasset vicissetque. Enim vero ne victi exarcerbaret dolorem, neu proprias persecutus videretur injurias, non Ecclesiæ ac Dignitatis, adduci nullis unquam rationibus potuit, ut Insignium suorum monumentum, in ædificii fronte restitutum deinceps videret. Nihil præterea omisit quod ad mitigandum dolorem, optimamque in Præfectum voluntatem inicandam, valere posse existimaret. Omnia tamen in deterius ab illo accipi, quæ semper novarum criminationum causæ. Ille enim adeo Episcopi patientia, & humanitate, ad saniora non movebatur consilia, ut potius ad magis furendum accenderetur.

Ibidem p. 51.

CAPUT XXI.

Accusatur TURIBIUS *quod adversus Regiam jurisdictionem quædam moliri ausus fuisset.*

I. ALiquando tamen Antistes succubuisse calumniæ videri potuit, tunc nimirum cum per Præfectum, Regis mandato, in Concilium adduci, atque objurgari jussus est, quòd adversus Jurisdictionem Regiam nova moliri videretur. Res ita partim ex Pinellio, partim ex testibus gesta traditur. Missas a TURIBIO ad Romanum Pontificem litteras, in quibus eum tunc ibi rebus non benè ordinatis, & Statutis, de Regiæ Jurisdictionis adversus Ecclesiasticam vi, aliisque hujusmodi, ad rectam sui muneris administrationem atque animi quietem sui spectantibus, consulebat, subodorati ejus adversarii Regi ipsi Philippo II. significare, & minima quæque, licet a culpa omni remota, in pejus detorquere, ut Episcopo invidiam conflarent, non omisere. Rex Legatum suum Romæ agentem monet, si quid hujusmodi indagare possit, statim nunciet. Re ille explorata, nunciat Archiepiscopi litteras ad Pontificem extare, & qualis esset earum sententia certiorem facit. Cap. XIV. p. 54.

II. Gabriel Zaretensis ex Ordine Prædicatorum testis fide dignus, ab ipso Pontifice Regem Philippum expostulatorias super ea re Epistolas accepisse ait; quam ob rem dato his rebus Senatu, censuisse Regem, increpari acrius Præsulem oportere, quod talia Romani Pontificis auribus ingereret. Itaque Epistolas sanè acres, & questus plenas, per Præfectum suum, Præsuli coram Senatoribus legendas, cum increpatione misisse, jussisseque eundem Præfectum, ut ad se, quid Præsul responderet, quemve oris habitum, aut affectus inter ea præseferret, rescriberet. Cæterum veritos Viri sanctimoniam, Præfectum ejusque Senatum, nec Regias litteras ei recitare, nec verbum increpationis mussitare ausos esse, sed Philippo Regis respondisse Sanctimoniam Viri eam esse, ut omnia excusaret; si quid ab eo in Regem peccatum, nimiæ potius Religionis instinctui, quàm voluntatis pravę, aut fidei vitio imputandum, non iis de rebus consulturum fuisse Pontificē, nisi Deo rem gratam, Regi non ingratam se facturum sperasset. Ibidem p. 55.

III. Alii tamen dicunt Regias litteras a Præfecto in senatu, atque objurgationem TURIBIUM audisse, ejus verò responsum non aliud fuisse quàm pauca hæc, modestissimè quidem, sed tranquil-

lis-

lissimo, more suo; vultu emissa verba: *Subiratus nimirum Rex noster hæc scripsit. Dei causâ ferendum est. Satis equidem Regi, satis, inquam faciam.* Quod responsum nulla cum indignatione, nulla cum perturbatione conjunctum, summopere non admirari Præfectum Regium, ejusque Auditores non potuisse, præcipuè cum pleraque falsa, atque ab Adversariis excogitata gravissimè

Ibidem p. 55. objicerentur. Post hæc satis Regi fecisse TURIBIUM suis litteris constat, quarum initium, Andrea Lisonio teste, illud fuit: *Christi verba sunt, o Maxime Rex, si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Quibus Rex lectis, Virique innocentiâ cognitâ, stylum deinde ad ipsius commendationem, animum ad sanctitatis venerationem convertit.

CAPUT XXII.

Iterum calumniis appetitus TURIBIUS *se purgare cogitur.*

Ibidem p. 55. I. AT non idcirco penitus malevolentiæ virus extinctum. Nec deerant quotidie qui recentes calumnias affigerent, ut TURIBIANUM nomen infensum, inimicumque Regi probarent. His, ut non utramque aurem daret jam Rex Philippus, Præsulem tamen suis verbis iterum monendum, corripiendumque censuit. Etenim cum Gregorius Arze Hispalensis, cujus hîc testimonio utor, omni virtutum genere ornatus, honestissimisque muneribus designatus, in eas Regiones Regii Senatus missu navigaturus esset, inter alia quæ Regis nomine accepit mandata, illud fuit, ut Limensem Metropolitanum conveniret, Regiam erga eum voluntatem non optimam demonstraret; offensionum causas non celaret.

Ibidem p. 56. II. His Arze cum mandatis ad contrarias nobis Terras profectus, ubi primùm Limensi Portu egressus, ad Urbem Regni Principem contendere instituit, Præsulem TURIBIUM honoris causâ sibi occurrentem habuit ad duodecimum ferè ab Urbe lapidem. Ibi primùm omni officiorum genere, atque humanitate diu certatum. Salutationes amicorum multæ datæ, & acceptæ. Mox ad Urbem pariter contendentes, quæ sint Europæ res, quæ Hispaniæ, alter narrat, alter interrogat. Ad Philippum Regem simul ventum. *Illud Arze,* inquit, *tibi fatebor, mi Præsul, non optime te audire apud Regem. Quam ob rem,* inquit TURIBIUS? *Quia* (retulit) *nonnullis, quæ ejus litteris mandabantur, parere recusasti. Ad sacra jura nihil non trahis; Regia deprimis, Urbe semper ferè abes non sine*

sine plurimorum querela, & commissi muneris negligentiâ. Clericali ordini dari nomen postulantem non accipis. Et hæc quidem Regii Senatores, ne ignorares, ex me audire magnopere voluerunt. Ad quæ Præsul, *Senatoribus*, inquit, *ut cognoscant æquitatem rationum mearum, suarum quoque expostulationum, quæso te mi Arze meis verbis hæc pauca referto: Me Christi fidem sanctè, religiosèque profitentem, parere præ cæteris Apostolicis jussis opus esse, quorum causâ nec martyrium subire detrecto. Improborum Sermone decipi Regem, qui adversantia Ecclesiasticæ Jurisdictioni contendit. Hoc primum; absentiam deinde meam ab Urbe, Provinciæ cognoscendæ gratiâ, Divino præcepto juberi, muneri meo maximopere exigi, in ista hominum, ac locorum barbarie, ut hos doctrinæ pabulo pascam, illos, in fidei Christianæ professione confirmem, alios errantes ad gregem reducam, plurimis nostræ Religionis ignaris Evangelicæ lucis ingeram radios, omnes Christo lucrifaciam; quem enim me in Civitate cessante, laboriosæ hujus, atque immensæ provinciæ saluti consulturum? cujus rei causâ per medias plerumque mortes iter agendum, apud Christiani nominis hostes, gentes omni humanitate exutas, ferarum ritu viventes, per montium prærupta, per planorum lubrica, nocte dieque pluvio cælo, an rigente hyeme, an æstu furente progrediendum, cum feris immanissimis luctandum, altissima flumina superanda, plures sine commeatu dies continuandi, sine tecto, ac lare sub dio cubandum, omnia denique incômoda devoranda. Provinciæ amplitudinem, naturam, ac varietatem locorum, auxiliorum paucitatem, ovium irreparabiles ubique jacturas, exempla Sanctissimorum Virorum, Urbanæ quietis amorem non ferre. Demum, quod petitores Clericalis Ordinis initiare nolim reprehendunt, id non voluntatis meæ vitio, non laboris tædio, vel fugâ fieri, sed eorum culpâ, qui petunt, siquidem Concilii Tridentini offendi nolunt a me decreta nostri Senatores, neque enim ii, aut ætatis, aut doctrinæ, aut Natalium, aut morum integritate se probant. Num hæc agenti æquè Rex indignabitur? Num rectè plus perditorum hominum improbitas, quam mea in Provinciæ hujus administratione fides, ac vigilantia respicitur? Num mutandam mihi agendi rationem propter levissimas calumnias quis existimet? Ita, mi Arze, res nostræ se habent, quas quis non perturbato judicio æstimet non reprehendat; nullum enim alium scopum spectant, nisi unicum illum, ac præstantissimum Deum. Regis gratia, aut ira, animi mei rectitudinem, quâ soli Deo placere studeo, certè infringere non poterunt, aut depravare.*

III. Hęc

Ibidem p. 57. III. Hæc & similia a Turibio causam Suam defendente responsa, ut nullâ vituperatione, summâ potiùs laude dignâ visa fuit Arze, ita ad Regium Senatum eadem non sine amplissimi Viri commendatione renunciavit, quorum æquitate, totius ordinis judicio comprobata, perditorum hominum calumniæ, omnisque de eo superioris opinionis umbra, recessit ex animis.

CAPUT XXIII.

Joanni Hortizio Zaratensi Sacri Juris violatori Divinis mysteriis Turibius *interdicit.*

Cap. xv. p. 57. I. Sub hæc tempora, quibus Mendozeus Præfecturam Regiam obtinuit, quotidie ferè in certamen pro sacri Juris atque securitatis integritate, Archiepiscopo nostro descendendum erat; quæ quidem certamina ita strenuè alacriterque pugnabat, ut mori potius, quàm vinci paratus esset; non ullius hominis mortalis dignitatem, non minas ac terriculamenta respiciens, ubi Divini honoris, & dignitatis, vel vestigium videret.

Ibidem p. 58. II. Expertus suo maximo incommodo Joannes Hortizius Zaratensis Cercati Prætor, quanta pro hujusmodi caussis digladianti vis, & constantia Turibio inesset. Hic & suopte ingenio, & Præfecti sui demerendi, quem Turibio iratum sciebat, spe ductus sacræ securitatis jura invadere, ac proculcare non dubitavit. Etenim, cum homo quidam genere Hispanus, ab homicidio intra Ædem Sacram se recepisset, ubi ex more asylum sibi futurum sciebat, hujus jussu per summam vim, atque injuriam statim extrahitur, vincitur, damnatur. Non omisit interea optimus Præsul monere hominem, ut resipisceret, ac liberum loco Sacro reum restitueret, alioquin se eum è fidelium cœtu moturum minatus. At ille monitis contumacior, quò Præfecto Præsulis offensa litaret, cujus potentiâ, ejusque consularium studiis, sibi omnia tuta pollicebatur, in furcam reum agi continuo jubet, quâ re Præsul cognitâ, ac deploratâ, hominem sacrilegii reum, atque anathema publicat, municipio, Sacris interdicit. Negligere primùm homo amens, ac dolore cœcus, mox ignominiæ potius, quàm pœnitentiæ stimulis laceratus furere, precari, minitari, terrere per se, per amicos illos suos, summâ potentiâ, atque auctoritate præditos. Nullis Turibius precibus, nullis cujusvis minis moveri, nisi contumaciæ ille magnitudinem pœnitentiâ, ac pecuniâ pensaret. Quamobrem ingenti pecuniâ mulctat. Despe-

ſperatæ ſalutis infirmi eſt remedia plus odiſſe, quàm mala. Magnitudinem ſceleris, qui nihil fecerat, ei graviſſima mulcta videri, iniquum Præſulis judicium. Omnia proinde tentat, ut vel omnino ſine mulcta, vel eá quidem leviori, ſceleris ab Antiſtite veniam extorqueat. Quæ poſtquam fruſtra a ſe fieri videt, nec poſſe illum a ſententia ullo modo dimoveri ad Romani Pontificis judicium provocat, æquiorem ratus ſententiam in ſe ab eo pronunciatum iri, atque ita ſe victorem, eluſo Præſuli impoſiturum. Enimvero miſerum illum ſua opinio fefellit. Turibii enim judicium Romæ in cæteris juſtiſſimum, in hoc uno ab æquitate aliquantulum recedere viſum eſt, quod pro magnitudine facinoris, non ſatis reum mulctaſſet; itaque addi ad mulctam nonnihil oportere judicatum. Incredibile dictu eſt, quantum devoto, ac ſuperbo capiti fulmen tali cum ſententia intonuerit, quales in eo affectuum turbas concierit. Omnium tamen illud videbatur graviſſimum, cogi a Turibio facinorum ſuorum veniam, ac remedium petere, & expectare, a cujus monitis receſſiſſet, a ſententia provocaſſet, mille modis laceſſiſſet, nec jam poſſe eam neceſſitatem effugere, niſi ſemper extra fidelium communitatem ſe eſſe vellet, atque in Oppido a rebus divinis ceſſationem trahi ultra contumaciam ſine hęreſeos ſuſpicione non poſſe; at nec ſine pudore relinqui; Nil ſpei jam ſibi ſupereſſe, vel novæ provocationis, vel alterius Judicis, vel levioris punitionis. Adamante conſtantiorem Turibium fore, niſi numeratâ ad teruncium pecuniâ, publicèque verberibus cæſo, nunquam ſibi locum in Eccleſia redditurum. His curis diſtractus, pejora ſimul metuens, tandem parere ſtatuit, ſeque Præſulis judicio ſubmittit. Ille abſolutionis negotium violatæ Eccleſiæ Curatori demandat, ſiquidem argenteorum prius vigintiquinque millia pro mulcta, duodecim præterea pro exſolvendis homini iniquè damnato Sacris parentalibus, numeraſſet. Abſolvi quoque publicè voluit ad Eccleſiæ fores, nudos humeros flagellatum, humique abjectum, ut publicæ, longæque contumaciæ exemplum dilueret, doceretque Principes Terræ ſacræ ſecuritatis jura non violare.

Ibidem. pag. 59.

 CA-

CAPUT XXIV.

D. Virginis Capocavanensis Imago coruscare miraculis incipit.

Cap.xvi. pag.60. I. IN Cercati Suburbio ab Indis humili loco quædam Dei Genitricis Imago, ad similitudinem ejus expressa, quę Copocabanę in Humasuii Provincia Urbis Pacis Diœcesi, summâ religione colebatur. Accidit, ut in Deiparæ ipsius contemptum, impia manus, ædiculæ tectum per umbras, noctemque dirueret quod nunciatum,incredibile dictu est, quanto piissimi Mogrobesii animum dolore affecerit. Nil cunctatus facinoris auctorem diligentissimè inquiri jubet: Deum optimum Maximum, ejusque Genitricem ante humi abjectus precatus, atque obtestatus, ut suam ipsimet adversus impium, ac nefarium caput, per se agerent causam, nec impunè semper eum latere permitterent. Ob eamdem quoque causam Divinum Eucharistiæ Sacramentum in templis Populo palam exorandum proponitur, precesque ad Deum publicè funduntur, supplicatio magnâ celebritate indicitur, in qua Sacræ Imagini ab humillimo Tugurio vindicatæ in ipsa Limensis Urbis Basilica Sedes daretur honestior, quæ dum interea ornantur impii facinoris contumelia miraculi gloriá superari visa est, atque ex ipso scelere permisso cumulatius erga Genitricem suam a Deo lumen excitari. Etenim quadam die animadversum est, effigiem ipsam, tum Matris Virginis, tum Dei Infantis, quem brachia inter complectitur, tantam ex se Sudoris copiam profundere, ut quatuor horarum spatio, quo res accidit duo calices impleri pene potuerint. Re statim vulgatâ, undique eò concursus fuit maximus, ac tota, pene dixerim, Civitas, vel pietatis, vel visendi studio advolavit. Ibi cœcis visus, vox mutis, integritas aliquo languore affectis, omnibus denique optatissima valetudo præsto erat.

Ibidem pag. 61.

CAPUT XXV.

Duplex Hæretico homini salutis beneficium Virgo impertitur.

Ibidem p. 61. I. NEc solum corporibus, sed & ipsis quoque animabus remedia ibi dabantur Cœlestia. Nam, cæteris ut supersedeam, quidam ex impiissimi Hæresiarchæ Lutheri Auditori-

toribus, quos, ut ferebatur, Anglicana Navis, in freto Magallanensi pridem capta, in eas Regiones invexerat, Paralysi ita affectus, ut in corpore jam suo sepulchrum anima demortua habere videretur; postquam huc delatus est, conspicatusque beneficiorum in alios ab Effigie illa cælesti, magnitudinem simul, & multitudinem, luce veritatis perfusus, atque in spem salutis erectus, simul Lutheri errores animo execratus, ore mox apud fidei Magistratus ejuraturus, piis precibus, ut sibi quoque integritatis beneficium largiretur, Deiparam magnopere oravit, pollicitus sub ipsius auspiciis se deinceps totum futurum. Audiit hunc orantem munificentissima Mater, eodemque ferè momento voti compotem effecit. Quo ille tanto munere permotus nihil prætermittere constituit, quo suam in beneficam Virginem pietatem tam insigni cumulatam beneficio testatam faceret. Ibidem pag. 62.

CAPUT XXVI.

Transfertur eadem Imago a Turibio *in Urbem, & magnifico extructo Sacello collocatur.*

I. His igitur Turibius in publicas tabulas, legitimè, diligenterque relatis, memoriæque proditis, se Judice, ac teste spectatissimis, sacram supplicationem suo jussu jam ornatam duci mox jubet, ubi Effigies Virginis ex humillimi loci solitudine in Urbem deportata, principis Templi honestissimâ sede collocaretur. Nulla supplicatio pari, vel frequentiâ, vel apparatu, vel denique pietatis ostentatione superiori memoriâ his Nationibus spectari contigerat: quo majori studio omnes ab omni parte adesse, viarum latera densis spectatorum ordinibus stipari, edita quæque certatim occupari, beatissimos sese existimare, quorum propter domos, ac fores devehi oporteret. Jam verò supplicatione ducta, effigie quoque destinatâ Sede compositâ, Turibii Antistitis in illam pietas multò dilucidius emicuit. Continuò Sacellum in illius honorem excitari voluit, ac magnis suis impendiis, quàm fieri potuit, pulcherrimum, ac nobilissimum tandem perfecit. Ad hæc Sodalitatem ejus gentis, optimis legibus institutam sub auspiciis, ac tutela tantæ Patronæ, congregavit. Quo tempore domi morabatur, ab hoc loco divelli vix poterat; nec solùm illic quæ sui muneris erant functiones frequentius, libentiusque prçstabat, sed plures singulorum dierum horas, vir tanta negotiorum mole, ac varietate ferè semper distentus orando protrahebat.

CAPUT XXVII.

Duo in Urbe Asceteria a fundamentis Turibius *ædificanda curat.*

Cap. 17. p. 62. I. INterea verò alterum opus animi sui magnitudine, caritateque non indignum meditabatur, quo nimirum Virginibus humili loco natis, & malè nuptis puellis in commune consuleret. Huic perficiendo magnâ pecuniarum vi opus erat. Hæc autem deerat illi magna ex parte. Quamobrem piæ voluntatis propositum morari cogebatur. Commodùm cælesti beneficio accidit, ut Francisci Saldagnæ viri opulenti, nec minus virtutum laude conspicui, aures, Archiepiscopi votum penetraret, qui statim in partem honestissimi operis admitti percupidus, eidem se, suaque omnia, ad quatuordecim circiter scutatorum nummorum millia in eo collocanda, una cum servis ultro spopondit. Cujus Viri opibus Turibius ad suas adjunctis, atque ædificatione, lectissimâ Urbis parte jam cœptâ, in majorem Dei gloriam exituram rem existimavit, si consilio de malè nuptis in aliud tempus dimisso, Sacrarum ibi Virginum cœtus, Religiosæ disciplinæ legibus sub auspiciis Divæ Claræ meriturus, excitaretur. Nec displicuit Saldagnæ ipsi consilium, quin & Aloysius Velasquius, qui eâ tempestate Regiam Præfecturam obibat, ab eo, cui successerat Mendozæo, in Primatem animo valde diverso, idest amico, regio jussu mille Philippæos annuos pendentem fundum, in operis consummationem attribuit; quem plures alii, & Hispani, & Indigenæ secuti, pro se quisque opem undique, argentum, equos, vestem, frumentum, pecora, atque hujusmodi alia afferentes, pium cœptum non parum juvere. Turibius verò, & ex propriis redditibus, & ex reorum damnationibus, ac mulctis in Provinciæ cognitione, longè majori pecuniarum vi congestâ, quanquam cæteros omnes simul, multis numeris superavit; tum operi faciendo, ita curâ, diligentiâque præfuit, ut totum omnino ipsi jure imputandum videretur, illam tamen mortalis auræ gloriolam adeo non curavit, ut eam Saldagnæ integram esse voluerit; eumdem auctorem, fundatoremque existimari, ac dici, hoc unó laborum, impensarumque suarum pretio ipse contentus, Divini honoris incremento. Opere tandem perfecto, quatuor è Sacris Virginibus religiosam vitam jam in claustris, ab Incarnatione dictis, diu professæ, omniumque

Ibidem p. 63. / Ibidem p. 64.

que virtutum laude conspicuæ, novæ familiæ duces, Matresque evocatæ: quarum Principem, Abbatissam vocant, Justinam Guevaram, deinde Annam Illescam, tertio loco Barbaram Vegam, postremò Isabellam è fonte, Scriptores numerant. His primò duodecim Virgines ex universa Provincia, Propugnatorum filiæ instituendæ traduntur, nullis dotibus, nisi honestatis, atque indolis optimæ allatis. Dein certis limitibus, ut Sacrarum Deo Virginum mos est, acceptis ut ne loco pedem efferre liceat, tanta aliarum accessio facta est, ut ad quingentas jamdiu pervenisse dicantur mirabili vitæ Sanctimoniâ, severiorisque instituti disciplinâ, paucis, quantum ubique Terrarum Christiani nominis est, secundæ. Ibidem cap. 65.

II. Adstruxit his Turibius, ne Saldagnę pia voluntas irrita fuisse videretur, malè nuptarum domicilium, ubi mulieres illę locum haberent, quarum Conjugium legitimâ causâ dirimi postularet, ne apud Viros Divinæ offensę, dum interea judicio res transigitur, foveretur occasio. At perdiu ob nimiam cum Virginibus vicinitatem, commorari ibi non licuit malè nuptis, coactis anno ab Turibii excessu tertio integram eam Sedem Virginibus relinquere, aliòque ab iis longius transmeare. Cœterum inter opera Turibii præclara, atque Reipublicę maximè utilia, hoc instituti genus numeratur, quo infinitis peccatis clausit, plurimis in summo discrimine fœminis vivendi honestè iter aperuit.

CAPUT XXVIII.

Aucti divinitus TURIBIO *Census*.

I. HÆc domestica, & in Urbe gesta. Plura quoque tam Limæ, quàm per Provinciam ædificia Sacra, Templaque posuisse, ac dedicasse Primatem nostrum, qui novere testantur, nosque suis locis videbimus, si quæ sigillatim ex Testium tabulis sciri poterunt, quibus ædificiis, privatâ suâ pecuniâ ferè eductis, quanquam annui redditus impares videbantur, rationesque in iis expensi cum accepti ex suo censu rationibus in tabulis relatæ, paucioribus numeris notarentur: ad hæc familiam pro dignitate plurimam aleret, ac largus erga miseros, egentesque homines esset, ut *Eleemosynarii* nomen sibi comparaverit, nihilominus Successori suo non tantùm deteriores res non fecit, ut potius ingenti auctu cumularit, quippe quas decem, aut plurimum Ibidem pag. 65.

rimùm duodecim Philippæorum millia pendentes initio acceperat, supra triginta demum millia pendentes moriens reliquerit; optimo nimirum fœneris genere usus ubi Divinitas accipit, centuplum restitutura; Servumque in paucis fidelem supra multa miro planè modo constituit.

CAPUT XXIX.

Divinam Fidem devio cuidam TURIBII *meritis interpositis imploranti mirum in modum succuritur.*

Ca.xviii. pag. 67.

I. NEc rei tantùm fluxæ, & mortalis maximum Turibio compendium ex hac fœneratione factum est; sed & virtutis, & gratiæ, adeo quippe Cœleste Numen sibi demeruit, ut omnia quantumlibet mira,& humanæ naturæ præstantia ipsius gratiâ facere, suæque omnipotentiæ eidem vim quamdam impertiri, ad talia patranda, visum fuerit. Hujus generis nonnulla sequentes commentarii demonstrabunt, etsi plura cum Testibus tanto temporis intervallo interiisse putandum simul ac dolendum. Quæ ad tempora hæc in Urbe acta pertineant, paucorum memoria est, cujus tamen ea pretii, ut ad rei propositæ confirmationem, fidemque faciendam, vel maximè valere videantur.

II. Sacerdos, nomen adhuc mihi obscurum, negotii causâ alicujus, seu potius officii, ac venerationis, Antistitem ipsum Turibium domi iis diebus agentem, ut adiret, Limam nactus lunam splendidam, nocte iter instituerat, quatuor leucarum intervallo distans. Atqui locorum parum ille peritus, per inscitiam, rectà egressus in arenas procul deserti littoris, erroresque se induit. Illic Syderis quoque in occasum jam proni beneficio destitui. Quid faciat miser in loco erroris, & vastæ solitudinis, ubi fortasse nihil a Prædonibus, nihil a ferarum sævitia tutum? Ope cælesti opus esse haud nescius, eam sibi implorandam putavit. Igitur genibus terræ datis, oculis cœlo: *O si quid apud te*, inquit, *Rex summæ Cęlitum, si quid Antistitis* Turibii, ad quem cursus erat, *nomen, & virtus valet; plurimùm enim, plerique omnes valere existimamus, ejus quæso, Viri sanctitate exoratus, ad me nunc omnium mortalium miserrimum divinos oculos verte, atque his erroribus expedito, Syderis simul cadentis lumen, & vitam serva. Tuque*

que adeo, Vir divine, Turibi, *si absentis preces absentem non latent, & laborem hunc tui causâ susceptum adhuc in terris agens intuitu vides cœlesti, mihi adsis quodque ad te iter ducat ostende.* Vix talia oraverat, cum triti itineris semita ante oculos aperitur. Luna verò interea veluti defixa stare super occasum visa est: nec prius Oceano se mersit, quàm Limam ille per semitæ compendium pervenit.

CAPUT XXX.

Gravi morbo laborantem sanat.

I. HÆc per se in gratiam famuli sui, Cœleste Numen. Sunt & quæ ipsemet Turibius, Divinâ quodammodo vi in se derivatâ, mira gessit. Inter hæc non immeritò numeratur, quod sequitur. Ibidem p.67.

II. Cum adhuc Limæ esset, aliquando Indorum hominum concione advocatâ, antequam verba facere inciperet, an omnes convenissent, rogavit. Responsum, unum tantummodo desiderari, quem copiosa è naribus sanguinis profusio, atque inde virium imbecillitas adesse non pateretur. Quibus auditis, *Non ita*, inquit, *Sed, & eum huc accersite, aut adducite*. Causantibus ex motu corporis, vires ægritudini auctum iri; nec sine summo ejus periculo fieri posse, non idcirco sententiam, aut mandata mutavit. Postquam adesse videt, sanguinis adhuc rivum fundentem, manu apprehensâ, *Age*, inquit, *remedium habemus in promptu*. Atque in hortulo mox secum adducto, ut nescio quo frontem gramine confricaret, imperavit. Quo facto fluxus continuò deficit, integritas redit, in concione cum cæteris adstat, domum nullius jam operâ indigens se reducit. Graminis ne efficaciam, an Turibii Cœlestem vim hac in re demiremur? Umbrâ graminis se tegere voluit Modestia Viri Sancti, ac magis detexit. Neminem quippe latuit, ex eo genere olus fuisse, cui hominis subita salus imputari non deberet: contra Turibii Sanctitas adeo erat conspicua, ut Auctorem ipsum rei miræ extitisse omnium opinione fixum immotumque constiterit. Ibidem p. 68.

CA-

CAPUT XXXI.

Extinctam Puellulam Vitæ restituit.

Cap. xix. p. 69. I. ALPHONSUM Fernandium Bonillensem, Mexicanæ gentis Protomystam designatum, sacris cœremoniis, ac ritibus inauguraturus, Aedem Divinæ Incarnationi Sacram delegerat TURIBIUS. Rei novitas, ac magnitudo, præter Urbanam multitudinem, advenarum quoque infinitam pene turbam coegerat. Omnes capere locus non poterat, capi tamen omnes volebant, ita alius alio premi, primique ordines certatim occupari, dum extremum relinqui se quenque piget. In medium densissimæ multitudinis muliercula quædam vulgaris cum pupula brachiis implicita, inducere se se, quæ hujus sexus ubique terrarum aviditas est, nec timuit, nec erubuit, fecisse tamen pœnituit, cum huc, illuc veluti frequenti undâ jactata, arque impulsa, naufragium filiæ se fecisse cognovit; æstu quippe populi oppressâ puellulâ post vagitus, atque ejulatus, sine spiritu elanguit. Ibi deploratio Matris, ac gemitus: plusque ab una turbari, quàm a tota multitudine. Commotus cùm rei acerbitate Præsul TURIBIUS, tum Matris infelicis, cuncta ejulatu complere, atque turbare querelis nullum finem facientis; ante aram pronus, & corpusculum manu tegens, coram quippe statuerant, Deum Optimum Maximum pro extincta Puellula, majorem in modum oravit. Parva mora intercessit, jamq; animulam respirare, vitâque potiri pupulam, qui modo extinctam viderant, cuncti mirabantur. Protinus in gaudia genitricis conversa lamenta, facto acclamantis populi voces ad Sydera usque pervenere; Sacrarum eo loco commorantium Virginum Choro, Deo gratias publicè actæ, ejusque diei lætitia, ac deinde memoria, hoc illustrior facto, quàm Mexicani Pontificis inauguratione permansit.

CAPUT XXXII.

Insigne Liberalitatis Exemplum.

Cap. xx. p. 70. I. E' Superiori parte Domus aliquando respiciens TURIBIUS, hominem Vincentinum Rodriquesium pauperum nomine proque agentibus simul in valetudinario caritatis, puellis stipem quærentem vidit, hunc ad se vocatum rogavit: quemnam

ad

admodum piæ quæsturæ ratio procederet? quâque liberalitate suppetiæ miseris impertirentur? ille ex Divinæ Providentiæ penu pauperibus satis liberaliter ministrari alimenta respondit, cæterum parcè admodum de superfluis suis homines impertiri. Ad quæ Præsul. *Age*, inquit, *Franciscum Quinonium Sororis meæ Conjugem rerum mearum curatorem statim adi, meisque verbis centum scutatos tibi numerare jube*. Paruit, sed affirmante Quinonio, pecuniariæ rei maximam sibi esse in præsentia inopiam, quamprimum tamen numeratam illi pecuniam se missurum; Ad Præsulem rediit Rodriquesius, quæque a Quinonio retulisset, exposuit. Tum Præsul, *redi*, inquit, *&* *ducentos numerare jube*. *Unde enim hæc pecuniariæ rei inopia? Equidem pecuniæ meæ in promptu sint volo in pauperum largitiones*. Rediit ad Quinonium Rodriquesius, iisdemque cum promissis ab eo dimissus. Recedenti Præsul occurrens: *Retulisti ne*, inquit, *ducentos?* Neganti, rursum imperaverat, ut eo se referret, ac duplum exigeret, hoc est quadringentos. Verùm cum imperata facere modestè recusaret Rodriquesius, ne homini importunior videretur. *At quingentos*, nonnihil eâ re turbatus Præsul, *hinc sanè auferes*, ait, *Ad Quinonium me sequere*. His dictis per aulam Pontificiam cum homine unà progreditur. Illic Servos ex Maurorum genere duos videt in opere domestico occupatos, quos cujus essent, cum interrogasset; Alter Francisci Quinonii, alter verò ipsius rogantis, sese esse dixit. Cui Præsul, *quandoquidem*, inquit, *in ære meo es, mitte nunc ista quę agis, atque exin hujus esto, cui te trado*. Mox ad Rodriquesium: *Tolle hunc modo*, inquit, *pro donativo, quingenti quoque statim ut sequantur enimvero efficiam*. Nec mora, Quinonio diligentissimè mandat, ut jussam pecuniam omnino cogat; nulloque interposito spatio ad egenorum ærarium ipsum Præfectum mittat: Quibus ille mandatis seriò coactus, veritus, ne cunctatione suâ longè amplius augeret, æris summam a Creditoribus statim exigi curavit, quo jubebatur submisit. Hác liberalitate Turibius suam caritatem luculenter ostendit, pauperum inopiæ, tam largiter promptèque opitulatus.

Ibidem, p.71.

CAPUT XXXIII.

Inexpiabiles inter duos Equites inimicitias conciliat.

Cap. xxi. p. 72. I. PEr id tempus, duo ex ordine equestri privatas injurias prosequentes, in ipsa Principis Aula confligere non pertimuerant. Capitalis criminis rei in vincula statim conjecti. Jamque in aggressorem extremis erat animadvertendum suppliciis, cum adversarius a concedenda venia, atque ab imponendo fine simultatibus, alienus esset. Quare nemo ferè in Civitate fuit, qui plurimùm auctoritate dignitateque valere ex omni ordine videretur, quem servandi hominem, odiorumque causas restinguendi, cura, laborque prætererit. Atqui inexorabilem ullis vel precibus, vel rationibus adversarii dolorem, cuncti sensere, virique pertinaciam posse frangi, jam spe deciderant. Diem supplicio Equitis constitutam, carnificinæ Instrumenta in forum consequi jussa. Explere Adversarius odii sui sitim, miseri cæde effictim cupiebat. Tota Civitas unius infortunio; alterius implacabilitati irascebatur, ad spectaculi acerbitatem concita. Hæc simul ac intellexit Mogrobesius noster, quod extremum, atque unum subsidium restabat, nihil sibi, aut cessandum, aut omittendum putavit, quo utriusque saluti minus consuleret. Ad publicam repente custodiam pedibus devolare vidisses; equitem vindictæ avidum adire, ante pedes provolvi, Christi effigiem de Cruce pendentis manu præferre, per Deum Optimum Maximum, per Cælites omnes, per salutem denique suam etiam, atque etiam obtestari, ut hosti injuriam remitteret, gratiam redintegraret. Rationibus & exemplis è Divina Scriptura depromptis, a Natura, a Philosophia petitis, honestatem condonatę injuriæ, turpitudinem vindicatæ demonstrare. Ultionis genus omnium optimum, a Sapientibus illud censeri, quo non gladio hostem, sed beneficio jugulamus. Præstabilius suum dolorem opprimere, quàm de Adversariorum exercitu triumphare. Ibidem p. 73. Inglorios semper, ignominiâque dignos irarum memores quosque judicatos. Non ita Dei filium dictis nos, atque exemplis instituisse, cum ab ipso patibulo cui illum affixerant hostibus, & carnificibus suis veniam indulgentiamque precaretur. Non ita Stephanos, Paulos, Laurentios cum suis interfectoribus se gessisse. Qua aliâ re propiùs, ad ipsum cæleste Numen accedere mortales, quàm

quàm parcendi facilitate ? Hæc aut his similia vir Divinus. Quibus eò equitem adduxit, ut posito acri odio, quo ardebat in hostem, illud in sincerum amorem christianâ pace converteret. Quo factum Turibii caritate, ut pace conciliatis inter hostes animis, reus eriperetur supplicio, quod illi fuerat decretum. Secuta victoriam Turibii tam illustrem populi universi læta acclamatio, ac redeunti domum gratiæ, gratulationesque undique persolutæ. Opinio demum, quæ ante magna ejus Sanctimoniæ, ex cæteris rectè factis erat, ex hoc uno maximè apud omnes excrevit, omniumque sermonibus deprædicari cœpit:

CAPUT ULTIMUM.

Singularia in ægros Caritatis Exempla.

I. ÆQuâ Turibius omnes caritate complexus, suum pariter auxilium è plebe vilioribus atque inter nobiles præstantioribus, nunquam deesse, patiebatur. Hujusmodi suæ caritatis exempla, duo, inter alia plura quæ possent referri Joannes a Rocca Limensis Basilicæ Archidiaconus in suo testimonio memoriæ prodidit, rerum oculatus testis. Cap. xxii p. 75.

II. Is Parochi munus obibat, cum muliercula infimi generis, gravi morbo affecta, sacris procurationibus opus habuit. Distabat ejus domus non paucis passibus. Circa tertiam noctis vigiliam ad Parochum mittit, Divinum sibi Viaticum rogans afferri. Affertur. Exactâ jam nocte Præsul Parochum accersit: quid Ibidem. p. 76. proximâ nocte tintinnabuli per forum sonitus indicasset (eo signo Divinitati reverentia, atque obsequium comparari mos est) percontatur. Mox re, ut erat, auditâ, Parocho imperat, ut ad extremum laborantem fœminam redeat, ex eaque cognoscat, an Fidei aliquando Sacramentum christiano more confirmaverit. Ille, aut quòd longè aberat, aut quòd inutilem eam interrogationem censebat eo sanè statu, quo ægra moveri loco non poterat, nedum ad Ædem sacram, ejus rei gratiâ venire, imperata neglexit. Unius ferè horæ spatium intercesserat, cum Præsul de ea re valde sollicitus iterum Parochum accersit, jussa ne peregisset, rogat. Ubi supersedisse auditum, leni increpatione contumaciam coarguit, eademque rursum majoribus verbis imperat. Jam mora nulla it, redit, Sacramentum a Muliere confirmationis nunquam receptum denunciat. Meridiem sol terris effecerat tempus instaurando corpori præsens, cæteris occupa-

 tio-

tionibus importunum. At Turribius minimè sibi cunctandum, dum cibus caperetur, putavit. Continuò unà cum eodem Parocho, ac Ferdinando Guzmano, qui aderat, homine Juris apprime perito, Sacerdotale pallium indutus, ac cæteris ad functionem necessariis præmissis, ad ægrę domum pedibus contendit. Ibi postquam ægram adiit, verbisque Apostolo dignis allocutus, quibus eam ad doloris tolerantiam, animumque ut ad Divinam voluntatem componeret hortatus, omni cùm sacrarum cęremoniarum, tum summæ caritatis significatione, nec minori eorum qui aderant admiratione, Sacramentum Confirmationis administravit; Nec ita multò post eadem cui administratum fuerat mortali vità exsoluta, ad immortalem convolasse credita est tanti Viri caritate adjutà.

Ibidem p. 74. III. Eodem Parocho, Francisci Quinonii mancipium pleuritide decubuit: cui in summum periculum jam adducto circa quartam noctis vigiliam ad animę ipsius suppetias sacrís expiationibus ferendas, Parochus excitatur. Commune cum Jumentis, quorum curæ præpositus erat, homini diversorium. Idem quia vix hominis quidquam præter humanam speciem habere videretur, cum ob ingenium rude atque hebes, res Divinas minus perfectè cognosceret, ad earum participationem nunquam admissus fuerat. Audierat Sacerdos hujus peccata, Christianoque more expiarat, inde per tenebras, puero facem præferente, domum suam redituro, atrium Præsulis pertranseundum fuit, cubiculi fenestræ subjectum, qui incedentium motu percepto, è superiori parte, quid eo tempore negotii sit, totas ferè noctes vigilare solebat, sciscitatur. Certior de ægritudine servi, deque sacra expiatione postquam factus, viatico ad æternitatis iter, Divino præmuniri maturè jussit, causanti verò hominis incapacitatem; *Dignam nimirum Parocho diligentiam!* inquit, *Tuum erat efficere, ut esset capax. At jam nunc, ut fit, vide faxis*: Cęterum nequid ad salutis æternæ rationes servo deesset, in stabulum ipsemet continuò descendit: ibi ægro assidere, verborum mirâ suavitate, blanditiisque animum captare, quæ opus essent, ad ritè Eucharisticum cibum percipiendum docere, ingenii tarditatem, eruditionis facilitate superare. Quid plura? brevì ita instituit, ut Divinis mysteriis ritè procurari posset. Tum ipsius jussu repurgatâ, atque ornatâ Domo, in Aedem Sacram cum Parocho contendit, quò jam consueto signo excitata pia multitudo convenerat. Inde eumdem Parochum, Divina ferentem, non dedigna-

tus

tus Præſul, cum cætera turba, ceream facem manu portans, ad ægrotum comitari, eoque Euchariſtiâ munito, inde iterum in ædem Sacram regreditur. Quo facto ut ægrotum ipſum magnâ conſolatione affecit, ita caritatis adeo inſignis ſpectatores optimi exempli admiratione, ac ſtudio. Mox ad ſervum regreſſus, iterumque conſolatus, atque ad agendas Deo immortales gratia exhortatus; ad Confirmationis Sacramentum exoptandum, petendumque pellexit. Quo adminiſtrato; rurſus exhortari cœpit, ut Chriſtiano more perungi noviſſimè vellet; quo annuente, ubi jam nihil ad ſalutem ejus deſiderari neceſſarium vidit, loco abſceſſit; opinione Sanctitatis ſuæ altè animis circumſtantium cum admiratione defixâ.

LIBRI PRIMI FINIS.



VITÆ



VITÆ
S. TVRIBII ALPHONSI
MOGROBESII
LIMENSIS ARCHIEPISCOPI
LIBER SECVNDVS.
CAPUT PRIMUM.
Plura a TURIBIO ALPHONSO *in Provinciâ gesta desiderari* .



XPOSUI Superiori Commentario, quæ domi, atque in Urbe a Primate, atque Heroe nostro Turibio gesta, quæ vel in tabulis testium, vel in Vitæ Scriptoribus potui reperire. Plura gessisse iterum affirmare non dubitaverim, quæ quia cum memoratis collata non adeo elucere videbantur, memoriæ fortasse prodere non curarunt. Atqui utinam non etiam ex præclarissimis plurima præterierint, quod quidem de Provinciæ visitatione, quàm mox exequi incipio, perspicuum est. Ter enim cum visisse Provinciam dicatur extremi vix temporis pauca non periere, antiquioris plura desiderantur. Quippe ejus ætatis, cum acta scribi cœperunt, qui testimonium diceret repertus est ferè nemo. Cçterum quarum rerum testes habemus eas certè, aut locorum, aut temporum serie expli-

plicare non posse, nec spero; nec promitto; nisi si quam fortè testes ipsi luculentiores seriem demonstrant, quam sequar, alioquin, aut divinare opus esset, aut mentiri, longè ab ingenii mei, stylique consuetudine. Minimam igitur Provincialium gestorum, atque extremam partem, cæteris temporum injuriâ absumptis, quo ordine ex tabulis accepi, ideft nullo, aut maximè perturbato, ita propono, ut quisquis hæc leget, totque, tamq illustria mirabitur, exque iis quantum si omnia traderentur satis intelligat.

CAPUT II.

Diœcesim TURIBIUS *invisere instituit*.

Herrera lib.2.c.I. p.92.

I. EX quo primùm tempore Turibius in Provinciam cum dignitate venit, nihil se prius, aut antiquius habere existimavit, quam Provinciæ ejusdem universæ cognitionem. Boni enim Pastoris partes eas esse non ignorabat, crediti statum gregis exploratissimum habere, oculisque perspectum, quò res integras præsentiâ fovere, labentes sustentare, corruptas restituere facilius queat. Hinc quandocumque negotiis urbanis expedire se, sine officii sui culpâ, posset, nullum tempus, aut occasionem ejus obeundi muneris, abire sibi patiebatur. Qua in re laborum immensitatem, virtutumque præclarissima exempla, quis pro dignitate dicat? Ea quippe erat tunc temporis Provinciæ magnitudo, quemadmodum supra demonstravimus, ut toti semel obeundæ, nedum bis, ac ter parem fuisse, miraculi simile videatur; Ea verò locorum asperitas, hominum barbaries, itinerum pericula, ut vel fortissimum animum potuissent deterrere.

Ibidem p.93.

Quo tempore cœperit, aut unde, qui progressus fuerint, quid singulis locis præstiterit, quæ primâ, quæ secundâ, quæ tertiâ cognitione, vix apud Testes verbum, aut certa distinctio. Cœpisse ante primum Limense Concilium absolutum, ajunt vitæ Scriptores, ac me supra innuere memini. Jacobus tamen Moralius in suo testimonio habito, ait, Concilio Turibium decrevisse primùm proficisci ad visendam Provinciam. Fortasse quia ante hoc tempus, ut rebus quoque Urbanis posset consulere, Provinciæ, atque Urbi, prout res exigeret, se dividens ibat, redibat, nondum ad remotissimas partes progressus; idcirco ea potius prçludia, quàm initia putavit.

II. Annus igitur millesimus quingentesimus, octogesimus quar-

quartus, qui Concilio finem, Turibianæ visitationi certum principium fecit, etsi duobus ante annis aliquid otii nactus prælibasse dicatur. Qualis autem fuerit hęc prima cognitio, ab allato proximè teste, quando luculentior desideratur, compendio descriptam, seu potius convolutam audire non pigeat. *A Concilio,* inquit, *primam Provinciæ suæ Visitationem aggredi statuit, assumptis in auxilium necessariis ministris, qua in re senos, septenosve annos totos exegit, nullo in Urbem regressu, aut accessu. Hoc tempore* (haud ignota loquor) *Sacro ritu confirmavit, instituit, docuit supra centum millia hominum. Adiit autem Regiones, ac fines adeo remotos, ut eò accedere nullus ante eum Præsul, aut Sacerdos ausus fuerit maximo sanè vitæ discrimine. Usque ad Indorum populos Christiani nominis hostes penetravit. Amazonum maximum omnium, ac rapidissimum flumen, nec semel, nec iisdem vadis transmisit. Multa pro Christi fide pati cupiens, ac Sanctum ipsius Evangelium notum facere. Ad quascunque gentes accessit, maximam earum multitudinem Sacris aquis expiatam Christo adjunxit, quibus & Parochos qui Sacra ministrarent reliquit. Animarum salutis cupiditate incitatus, dies, noctesque quietis oblitus, in itinere perseverabat, plerunque suis pedibus per altissimum cœnum, per lubrica viarum, ac Montium prærupta, quò vix ullus aditus, plurimum discriminis appareret. Non ubique Commeatus, non lectus repertus: in Provinciis præsertim Cacapojæ, ac Majobambæ. Ibi propter limi tenacitatem, callesque malignos, ne pellis quidem ipsa, nedum calceamenta ex sparto caligæque, luto divelli poterat. Incolæ verò ejus adventu perterriti, neque enim Sacerdotem, aut Episcopum unquam videre contigerat, principio vertebantur in fugam: mox ab eo revocati, blandèque excepti, securè accedere, audire docentem: alii Baptismum, alii Confirmationem postulare. In his omnibus labores plurimos, plurima pericula sustinuit.* Hactenus Testis, cujus ipsissima pene verba è tabulis in hanc linguam transtulimus.

Ibidem pag. 94.

CAPUT III.

Secundò Provinciam obit.

I. SEptem circiter annis, uti dicebam, Provinciæ datis, eâque totâ perlustratâ, repurgatis errorum vepribus, quibus ager ille immensus oppletus videbatur, tum jactis bonarum segetum granis, in Urbem Turibius revertitur, ubi secundo Provinciali Concilio indicto, atque habito anno salutari 1591.

Ibidem p. 49.

iterum

iterum cognitionem instituere cogitavit, quem quatuor circiter annis confecisse dicitur, meliori jam rerum facie, ac prioribus illis senticetis magnâ parte culturâ sublatis, unde & breviori temporis periodo opus fuit. Hujus temporis gesta, eorum quæ extant, pleraque esse dicuntur, ita tamen referuntur in Actis promiscue, ut a cæteris alterius temporis, vix distinguantur. Id nos coëgit in extremas partes singularia cuncta rejicere, quamvis fortasse ad has medias, vel etiam primas pertineant: alio an alio tempore gesta esse parum curandum existimantes, dum omnino aliquando gesta esse, sit constans. Hanc igitur Provincialem moram Testis idem, de quo & supra memoravi, paucissimis his verbis totam complectitur. *Regressus ad cognoscendam Provinciam, diu absuit. Innumerabiles verò molestias devoravit in Provinciis Concuci, Guailæ, Guanuci, atque in agro Truxillensi.* Plura non addit, nisi post longum tempus, regressum.

CAPUT IV.

Tertiam profectionem aggreditur.

Ibidem p. 95.

I. JAm post aliquot annos, tertiò Provinciam invisit. Adeo enim gregi suo, vastas regiones, sparsim incolenti opem ferendi desiderio semper ardebat, ut quiescere in Urbe otii culpam existimaret. Hinc, ut inter occupationes urbanas tædium suum solaretur, oculos identidem levans in montes, illud quod in Evangelio de Virginea Visitatione legitur, sæpius atque incredibili alacritate repetebat. *Abiit in Montana cum festinatione, & visitavit Elizabeth.* Eodem, & ipse abire gestiens ad carissimas in iis errantes oviculas revisendas, ac cælestibus pascuis recreandas. Cœpit igitur Provincialis orbitæ cursus ab ora maritima, inde per acclivia Collium processit: editissimos denique montes, nisi vita mortalis defecisset, superaturus, quem quidem cursum nos, quoad fieri poterit, sequi, impressaque iis locis vestigia, quæ oblivio delere non potuit, vestigare conabimur. Antequam tamen incipio, libet hic paucis TURIBIANARUM visitationum institutum, inviolabilemque agendi morem prælibare, cùm ne eadem pluries repetere necesse sit, tum, ut Viro Sanctissimo, nullam sui, suarumve rerum rationem humanæ tantùm salutis, divinique honoris propositam fuisse dilucidius appareat.

CA-

CAPUT V.

Agendi ratio per Provinciam.

I. IN Provinciam quoties discessurus erat TURIBIUS, illud summo studio, diligentiâque providere curabat, ut res Urbanas quám expeditissimas, quietasque relinqueret; hinc Conciliorum consultis, veluti quibusdam munimentis tutas, hinc optimorum virorum pro se in specula vigilantium custodiâ, itaut licèt incommodi fortasse nonnihil pati absentiâ suâ, minimù eæ tamen labefactari possent. Neque enim res longè positas, rectè a se curari posse putabat, nisi iis prius, quæ circa se, domique suæ laborarent, optimè consuluisset. Tum auxilia, ac servos ad necessitatem tantummodo coæquatos ducebat, ut quoad fieri posset, onus hospitii minus incommodaret iis, apud quos versaretur. Nulla impedimenta, nisi dignitati ita propria, ut cum honestate omittere non liceret, qualia sunt Sacerdotis ornamenta, gestatoria sella, & pauca ad quotidianos usus. Jam ab initio certam sibi vivendi, agendique rationem præstituit, a qua ne latum quidem unguem aliquando recessit. Eam verò hujusmodi fuisse tradunt, Cap. II. p. 95.

II. Ad locum destinatum, ubi jam pervenerat, omnium primùm ad Sacræ ædis limina ab equo accedere; ingressus divinis diutius commentationibus vacare. Exin Sacerdotalem se in Domum conferre, nec alio, qualecunque hoc tandem foret, hospitio, nisi summa quædam res, majorem Deo gloriam paritura, intercederet, uti velle, quæ si quando intercessit, ita demum moveri passus est, si prior quidem hospes petenti sibi potestatem faceret; invitanti verò minimum incommodi sui causâ allatum iri certissimè sciret. Ad hæc nihil omnino cunctatus, nullo quieti, aut sessioni dato momento, rem ipsam aggredi. Templa, sodalitates, Collegia, Sacrarum Virginum domicilia, omnia denique loca, quæ pia vocant, cum eorum statu, lege, rationibus accuratè cognoscere; singulorum mores, ac vitæ instituta pervestigare: si quid corruptum, aut labefactum auctoritate, edictis restituere; præterea, quanquam nil naturæ suæ alienus esse videbatur, habere delictorum, reorumque quæstiones, Judicia pro gravitate facinorum constituere, pronunciare sententias, pecuniâ, vel aliis pœnarum generibus mulctare, non ullius potentiam, gratiam, divitias, dignitatem respicere; sed Ibidem p. 96. Ibidem pag. 97.

causarum æquitates; nullius vel tenuissimi muneris acceptione integerrimas manus inquinare. Insuper, sarta tecta Templorum, sicubi opus esset, ut fierent imperabat, pecuniâ suâ juvabat, operibus aliquando, nequid Curatores a se imperatum ob negligentiam, aut avaritiam præterirent præesse volebat. Interea temporis Divini Verbi pabulo jejunum diu gregem recreare, operam vel per se, vel per auxiliares suos, sacris animorum expiationibus impendere, Divinis expiatos mysteriis procurare, rudimenta fidei ignaris tradere, data nomina Christo recipere, recepta more christiano confirmare; ad extremum nihil omittere, quod cum divina gloria conjunctum, atque animarum salute cognosceret, quæ tametsi omnia, eâ, quâ maximè posset celeritate præstare consuevit, ne hospitibus inutili morâ, gravior fieret; non tamen ut diligentiam suam desiderarent majorem aliquando permisit. Ubi rem alicubi peregisset, non illum pluviarum labentium copia, non conjuratæ tempestates, non hiemis ulla inclementia retinere poterant, quin statim aliò se conferret; ne illius quidem temporis jacturam passurus dum phaleræ adderentur jumentis, quæ parata ut haberent famulos, paulo antequam viæ se committeret, jubebat. Tęnias, sudariola, candelas ab Indis confirmandis, aut Sacris Ordinibus initiandis nunquam accepit, semper dedit. Ab Hispanis, si qua ultro sibi offerrentur, iis, inopes Ecclesiarum res ut juvarent suadebat. In itinere vel mulâ vehebatur, vel pedes pergebat: plerumque pedes. Certas diei horas precibus in commune, Deo, ac Beatissimæ Dei Genitrici persolvendis statuerat. Confabulationes de rebus tantùm Divinis institutas, comitibus permittebat. Ipse semper in cælestium rerum commentationibus mente defixâ, vel diurnis erga Deum officiis, mente cum voce peragendis conjunctâ iter agebat, a cætero Comitatu aliquanto semotus. Hic illi quotidianus agendi mos fuit, a quo nulla tam grandis occupatio, nullæ temporum vices, nulla corporis lassitudo, nulla itinerum spatia (nam plusquam septem leucarum millia, quarum singulæ tria milliaria Italica continent, confecisse dicitur, nullus quippe angulus tam immensæ Provinciæ fuit, quò præsens accedere non voluerit) retrahere nunquam potuerunt. Jam verò quædam ab eo inter hæc Provincialia tempora singulariter gesta videamus.

Ibidem, pag 97.

CA-

CAPUT VI.

Truxillum veniens Joannem Roblensem molestissimâ Hæmorrhoidum ægritudine sanat.

I. TRuxillum Urbs est in ora maritima ad Septentrionem Urbis Regum, nomen Provinciæ impertiens; ac Limensi Primati sacris in rebus parebat. Ad hanc Urbem cum venisset Turibius, novissimam cognitionem peragens, è familiaribus quidam Sacerdos, genere Hispanus, quo a Cruce, & Sacello uti solebat, cruentissimis Hæmorrhoidum cruciatibus affectus, vitam cum sanguine prope fusurus decubuerat. Eam ægritudinem annos senos denos incurabili pertinaciâ sævientem pertulerat. Remediis pecuniarum magnâ vi comparatis (tria enim millia ferè nummorum scutatorum consumpserat) asperaverat magis, quàm sedarat. Decumbentem igitur hominem, ac præ doloris acerbitate mortem invocantem, Turibius invisit, miseretur, consolatur. Divinam rem pro ejus salute se fecisse affirmat, celerem ex ea ægritudine salutem sperare jubet, metu mortis excluso. Vix hæc, cum se melius habere æger cœpit, moxque ita convaluit, ut deinceps eo morbi genere nunquam amplius laborarit.

Cap. III. p. 100.

Ibidem p. 101.

CAPUT VII.

Auditus Divinum Officium alternis recitare cum Sanctis Cælitibus.

I. POstquam Truxilli rerum sacrarum cognitionem habuit Turibius, optimèque iisdem consuluit, Oppida, & Pagos ejus agri adire perrexit. Nusquam iter aquarum è jugis defluentium, ac passim stagnantium lapsu, neque enim pluviis suis irrigatur solum, impeditius nusquam altiore cœno, aut tenaciore argillâ, quà hominibus, quà jumentis incommodius: soleas enim, atque ungulas hîc diripere dicitur. Calceos enim & cutem viatoribus hoc iter ingressis damno subducere non licet. Has tamen difficultates contempsit Turibius, atque, ut supra demonstratum, aggredi ausus suis pedibus viam, quà expediri jumenta non poterant; præstare ratus, calceos, & pellem suam luto teneri, quam oves suas, morbidas, invisas, neglectasque a se Pastore deseri. Inter alia verò, quæ non adiit tantùm

Cap. IV. p. 102.

tùm, sed & aliquo suæ virtutis insigni monumento ornavit loca, Pagus apud Chaonem, quod divæ Mariæ Magdalenæ nomen
Ibidem p. 103. præfert, memoratur. Hîc dum res administrat Turibius, noctem traducere cogitur. Datum Sacerdotali in Domo singulari Viro, singulare cubiculum; quippe eodem Conclavi adesse, aut somnum capere volebat neminem, ne cui, nisi Divinis oculis vigiliæ suæ, quibus totam ferè noctem inter sacras preces, ac sui corporis macerationes impendere consueverat, paterent. Eâ porro nocte, cum ab iis, qui proximis in cubiculis erant, Divinas preces, alternis recitare audiretur, opinio primùm incidit, opem alicujus ex familiaribus eum præ laxitudine accersisse: mox illucescente jam die, cum neminem intus fuisse ex familia cunctis affirmarent, tum recluso Conclavi, præter unum Antistitem nullus inveniretur, illud jam certum, atque indubitatum existimandum esse; ex vocis diversitate planè observatâ, aliquem illi è Sanctis Cęlitibus, operam suam collocasse, Divinisque officiis persolvendis adjutorem accessisse judicarunt.

CAPUT VIII.

Cruentis Corpus suum flagellis dilacerat.

Cap. v. p. 103. I. Nec mirum Cęlestium Civium consuetudine usum fuisse, qui iisdem se simillimum imitatione, ut fingeret, studiosissimè semper curavit. Quamobrem corpori suo animam prægravanti, autque humo affigenti sic iratus semper, ita dixerim videbatur, ut hosti suo infensissimo, quem internecinis odiis sibi debellandum, profligandumque putaret, ut eo aliquando expeditus cum beatis Cęlicolis Spiritus haberet consortium. Id tum aliàs sæpe, tum in eodem Truxellensi tractu, certissimis argumentis comprobavit. Etenim præterquam quod viarum illud spatiis, difficultate, continuato diu itinere, famis, ac sitis longâ tolerantiâ, vigiliarum assiduitate pene conficere videbatur, alia quoque pœnarum instrumenta addebat adeo immitia, ut mirum fuerit tamdiu potuisse vivere. Eo igitur tractu, rusticano, ac Silvestri cum nocte jam inductâ, constitisset, iis agrestibus opem aliquam laturus, cæteris in quietem solutis, ipse hospitio egressus, per lunam in vicinum Montem secessit.
Ibidem p. 105. Horrendâ mons Sylvarum opacitate tectus stabula alta ferarum habebat, ob quarum sævitiem infamiâ perpetuâ laborabat. Eò cum pervenisset Turibius, nullo solitudinis, aut ferarum metu

sub

ſub arbore procera, atque antiqua conſiſtens, humeris veſte detractâ atque ad humum genibus demiſſis, Divinam miſericordiam implorans, ita ſe ferreis flagellis concidere cœpit, ut ſonitus verberum longius auditus fuerit, & ſanguinis largiſſimâ effuſione circumfuſa virgulata terramque reſperſerit. Quod factum Deo volente occultum eſſe non potuit. Quidam enim è familiaribus comperto, domo eum egreſſum clam ponè ſecutus, pluresque accolarum illac prætereuntes audito fragore, cuncta obſervaſſe dicuntur. Ab his continuò inter agreſtes res vulgata, vix clareſcente die, eorum multos illuc viſendi ſtudio perduxit; viſaque tellus rivo ſanguinis madens, irrorata eodem virgulta, arboris quoque trunco hærentes guttæ; quarum ad ſuam uſque ætatem, nimirum ad annum ſalutis 1631. purpurea quædam veſtigia apparuiſſe, Joannes Sopeda teſtatum reliquit in Actis.

CAPUT IX.

Ad loca editiora, atque aſperiora progreditur.

I. JAM verò æquioribus regionis partibus peragratis, Colles quoque, & valles, ipſaſque altiſſimas Andes, ſi quà humani generis veſtigium reperiri intelligeret, accedere non dubitavit optimus Paſtor TURIBIUS. Oppida in Collibus præcipua Guamangæ, & Aræquipæ cum ſuis Provinciis. In Vallibus quas maximas, aditu que propter altitudinem difficillimas eſſe dicunt, Xauxa, Juquai, Andegavila memorantur. Porro Alpes, quemadmodum ſuperius demonſtratum eſt, aſperitate, magnitudine, multitudine ferè incredibili, plurimas mortalium Sedes accepere. In his Condomarchii, Cacapoii, Abancai, Guamalienſes, Andes Chincacochenſes, Jungæ, Guamcabambenſes, aliæque Barbarorum Nationes innumeræ. Ad quas omnes bonus Paſtor præſens adire voluit, itinerum nullis difficultatibus deterritus, etſi per juga æternis nivibus obſita, eâque frigoris inclementiâ, ut corrumpi cadavera gelu concreta non ſinant, viam plurium dierum pedibus, neque enim equis aptæ eæ rupes, continuare ſimul, ac moliri opus eſſet. Tridui quippe iter nonnunquam pedes per ardua, ac prærupta ita confecit, ut ne geſtatoriâ quidem Sellâ, quæ præſto erat, uti voluerit. Adiit præterea Carapinam, Aroquileam, Chilcas, Guanen, barbarorum terras, exceptus non inhumaniter ab Incolis, belluinâ pene feritate præditis, ſemper in armis, ac telis. Ibi multos nondum Chriſtianis my-

Cap. VI. p.106.

mysteriis initiatos, salutari lavacro expiavit: innumeram prope multitudinem sacro Ritu confirmavit: aliaque ad salutem Incolarum spectantia tantâ caritatis significatione obiit, ut quasi hominem omnino cęlestem Barbaries ipsa suspiceret, ac veneraretur.

CAPUT X.

Cacique ad TURIBIUM *veniens in rebus Fidei institui petit. Ejusdem ad alia loca progressio.*

Cap. VII. p. 107. I. APUD Chomas, Xauxę Provincię Oppidum, agente TURIBIO, ac jam latius ejus Sanctimonię famâ percrebescente, Indorum Princeps ex iis, quos Caciquos appellant, cum ingenti suorum multitudine, ad eum venit, enixius rogans, ut & gentis suę oram adiret, pollicitus omnes Christianam fidem maximâ voluntate audituros & accepturos. Se autem, & qui cum eo erant, Christum dare nomen per eum velle. Complexatus cum Principe singulos TURIBIUS, nullum sanè officium, nullam optimę voluntatis significationem omisit. Mensam quoque dapibus refertam apponi jussit; in commeatum vina, & pecora elargitus. Se tamen negavit posse ibi tamdiu morari, donec fidei Christianę pręceptis omnes imbueret; nec cęptam Provinciæ suæ cognitionem tutò relinquere, ut quò vocabatur contenderet, iis rationibus usus, quibus Cacique intelligere potuit, nullum in re negata sui contemptum, nullum negantis supercilium, aut propriæ commoditatis curam reperiri. Adesse ibi Virum, qui ejus votis satis faceret, eique omnis Christianæ Sapientiæ arcanum aperiret; mox etiam in patrios fines sequeretur, ejusdem Religionis præstantissimus præco. Is erat Vir Religiosus è Franciscana Familia doctrinâ æquè, ac vitæ sanctimoniâ insignis Bernardus Navarrete, qui eo tempore Chomis in Collegio sui Ordinis morabatur.

Ibidem p. 108. II. Huic ergo Cacique cum Sociis erudiendum cum reliquisset; atque in Patriam deinde sequi, maxima Christianæ rei incrementa facturum jussisset, iter suum prosecutus TURIBIUS, omnes Xauxensium, Guanhyansium, Cocangatensium fines accessit, ac peragravit, apud quos populos, rerum omnium inopiam, ac jejunium habitare credas, tanta pabulorum caritas, ut quo corpora curarent plerumque repertum non sit, tam rara hospitia, ut labore defessis diurno, humi, subdio, nocte jacere

opus

opus fuerit. Hujusmodi hominum genus montanum, atque, ut ita loquar, semiferum, cui nihil præter vile tugurium, ac sordidos liberos, notum; dum viseret Præsul res, haud rarò, superiùs testimonio comprobata ac risu sane digna accidere solebat. Ejus enim adventu in fugam, ac latibula se conjiciebant confertim non pueri tantùm, hujusmodi rerum trepidi, sed viri, & mulieres ætatis jam adultæ, atque incanæ; Sacerdotali ornatu, atque urbanioribus vultibus, ut re insolenti, larvarumque simili exterriti: revocandique erant, & a timore avocandi blanditiis, ac datis munusculis.

III. Illud quoque hîc accidit, ut ad Sacra Confirmationis mysteria invitati plerique refugerent, non odio quidem, ac contemptu rei sacræ, sed candelæ, ac tæniolæ dispendio deterriti. Etenim, quia ante paucos annos Tucumanensem Præsulem a Turibio administrandi facultate acceptâ, ut consuetum munusculum, ea sibi jure exegisse viderant, & Turibium facturum suspicabantur. Quæ res tenuissimis eorum fortunis oppidò incommodare videbatur. Causâ Turibius cognitâ, in concionem advocavit, gravissimisque verbis, Indicè, Hispanicè increpitis, voluntatem suam eam esse declaravit, ut non solum accipere ab eis nihil vellet, sed indigentibus quidquid necessarium erat etiam dare. Nunquam se talia munuscula exegisse, plerisque elargiri consuevisse. Venirent proinde eo timore soluti, ad Sacramenti confirmationem, nulla suarum rerum dispendia passuri. Quibus auditis plurima undique multitudo statim confluxit. Enim verò laborum tolerantiam, periculorum magnitudinem, ac numerum, alacritatem in omni re adversa singularem, res ubique summa cum laude, ac virtute gestas tanti Viri quis audiens non demiretur?

C A P U T XI.

Multis, & gravissimis casibus mirabiliter evadit.

I. EX infinita similium exemplorum multitudine pauca persequi non erit ut puto absque operæ pretio, illud verò non postremo loco relinquendum, quod Corongi accidit. Cap.VIII. p.1 o.
Eò per rupes, & aspera saxa ascenditur, quæ dum superat Turibius pede prolapsus, per præcipitia ferri cœpit. Actum ibi de eo erat, nisi virgultum in casu ostendisset, quo, non sine prodigio, tandiu sustineretur, donec per aviam rupem fune demisso,

reduci posset in tutum. Rebus verò ibi compositis decliviori jam die, & pluviis hibernis fœdo putavit se Lapum duodecim inde millibus passuum distantem Pagum, posse eodem die pervenire. Dissuadere omnes, ac deterrere, viæ asperitate, noctis atque hiemis fœditate, nivium altitudine proposità. Nil tanti, omnia ille contemnere, neu paucarum horarum spatio cessare cogeretur, eo die Cœli vultu tam turbido, ac minaci, corruptissimis nive, ac lubrico semitis, sumpto famulo, ac duobus ex indigenis viæ ducibus, cæteros enim Coroniæ eâ nocte morari permisit, eò contendere. Circa tertiam noctis vigiliam pervenit, ita corpore affectus, ut è quodam naufragio emersisse videretur, omnes noctis, hiemis, itineris injurias expertus, at eam frontis hilaritatem præseferens, qualem cui omnia ex animi sententia contigissent. Nec verùm reliquum noctis quieti concessit, sed totum Divinis pensis exsolvendis, piisque commentationibus impertivit, nullo ante vel cibo, vel potu gustato, quippe jejunii tempus erat, aut frigore ad ignem, corpore vestibus humore depulso. Ab aurora altarium consecrationes cœpit numero non minus viginti, quibus cæterisque de more prout loci res exigebant perfunctus, ut jam rerum nihil, temporis verò tantum vidit superesse, ut ad Oppidum Cuscusquiliam, quatuor ac viginti passuum millibus longè positum, posset pervenire, eò, ne procurato quidem corpore, tot laboribus hactenus confecto, præter superioris noctis incommoda, continuò discedit.

II. Cum accepisset familias Indorum nonnullas altissimæ convallis loca incolere, quò Christiani nominis nec odor quidem afflari unquam a quoquam ob impeditissimos calles potuisset, sed eas ritu ibi ferino vitam degere; non tulit bonus Pastor paucarum ovium a toto grege tam miserè aberrantium jacturam, iisque causis, quibus demorati cæteri fuerant, accessu nimirum laborioso, ac ingeniorum ferociâ neglectis, eò continuò ire perrexit, quidquid familiares, ut ab eo consilio deterrerent, adlaborent. Cœpto itinere ubi ad angustissimam semitam perventum, lapsu inter subjectas rupes evolvitur, quo casu exanimatus diu jacuit. Mox redeunte spiritu, tanquam nil grave passus esset, iter cœptum promoveri jubet; familiaribus deteriora metuentibus, & a proposito dimovere jam acrius adnitentibus, animos addens, illud pro constanti haberent, operâ id communis adversarii factum esse paucarum animarum salutem indignissimè ferentis: exin nil tale metuerent: omnia expedita

Ibidem p. 111.

fo-

fore. Quibus confirmati familiares, sequi eumdem Ducem non recusant, ac nullâ ferè molestiâ, decem passuum millia pedibus conficiunt, per loca horrida, & confragosa, ad vallis incolas descendentes. Illic aliquot dies moratus Turibius, dum fidei Christianæ rudimenta ignaris hominibus traderentur, ac salutiferis aquis ad veram vitam renascerentur, nihil interea somni nisi super nuda humo; nihil cibi præter Indici frumenti grana, ac minutissimos cammaros apud eos cepit, aut reperit.

III. Inter hæc incommoda nunquam queri, nunquam omnino commoveri visus: omnia enim ardentissimo caritatis igne incensus superabat. Contra sævissimus humanæ salutis, ac veræ Religionis Adversarius, quantis in eum odiis, atque insidiis frendens utebatur! Sperabat quippe, periculorum magnitudine, multitudineque pium constantissimæ mentis propositum, aut infringi a se aliquando posse, aut labefactari. Hinc nullum lapidem per viam non moliri, in quem offendens jumentum, sessorem in præceps excuteret, omnisque ita humanæ salutis curandæ ratio perturbata negligeretur. Id cùm hactenus narrata, tum continuò narranda apertissimè demonstrabunt.

IV. Ad asperrimi Montis apicem cum aliquando pervenisset, mula, quá vehebatur, ad immanem præruptarum rupium altitudinem, haud dubiè Dœmonis stimulis agitata, propiùs accessit; cujus pondere subruta tellus, ipsam quidem bestiam ad ima prolabentem, atque in minutas particulas per acuta saxorum concisam consecuta est; cæterum hominem justum in ipso exitii limine, impune effusum, ita continuit, ac servavit, ut Divinâ potius manu ablatus, sustentatusque videretur quàm solo. Ibidem pag. 112.

V. Nec illud ex una parte atrocem Adversarii invidiam non habet: ex altera verò auxiliantis opem Dei dilucidè ostendit quod sequitur. Iter per aspera, atque angusta montium latera, hinc arduis in Cœlum scopulis, hinc pronis ad ima præcipitiis, Turibio gregis sui longè latèque dispersas turmas vestiganti, conficiendum fuit. Accedebant ad horrorem loci, prærupta Convallium; porro inferius rapidissimarum perstrepentes aquarum lapsus. Ubi ad altissimam rupem perventum, cum jumento offendente concidens per declivia pariter deferri cœpit. Frutex in saxo pendens, Deo volente, mirumque in modum auxiliante, statim excepit, & quamvis ex se impar iis sustinendis, utrumque continuit, donec famuli ponè sequentes adessent. At bestiæ casus ita Viri tibiam interceperat, ut subduci non posset, nisi

 amo-

amoveretur & bestia. Id autem nullâ ratione fieri posse animadvertentes, ob iniquitatem loci, consilium cepere, ut qua posset, alii per brachia Antistitem apprehensum continerent, alii arbustum succiderent, ut bestia illo obice, qui unus ruinam morabatur, amoto, ad ima proruente, integer ille, tibiâque expeditâ, reduceretur in tutum. Quo facto, vita quidem Viro servata est, at non omnino incolumi tibiâ.

VI. Ad hæc in vallem Chicamæ cum venisset apud Pagum Chocopen, in fossam ingentis altitudinis offendit. Ponte quidem sublicio illa conjugebatur, sed vitioso malèque tuto. Illic anteriori pede inter trabes minimè sibi cohærentes inserto, jumentum collabens sessorem Antistitem in fossam effudit, idemque verò tigillo admodum exiguo pependit, ne cadentem consecutum opprimeret. Porrò cœlesti beneficio, homo, & jumentum servatum est, quorum utrique perniciem infestissimus hostis instruxerat.

VII. Guancabambam Provinciam obeunti, illud memorabile accidit, quod subjiciam. Mulâ utebatur, cui Saltatricis nomen inditum erat, quod nomen sibi intractabilis naturæ pravitate comparaverat. Præter Antistitem, nullum illa alium tergo Sessorem ferebat, eo verò mansuescere videbatur recepto. Aliquando hęc offendens pedibus, Antistitem ipsum ad terram dedit, corporique suo ita subjecit, ut moveri non posset, quin eum protereret. Mira res! Constitit bestia immobilis, donec accurrerent, qui eum a periculo eriperent.

VIII. Nonnunquam visibili Angelorum ministerio, ab hujusmodi casibus ereptum fuisse, dubitari non potest. Duo hujus rei exempla narrantur. Alterum apud Laimebambam Cacopoyensem Villam; Alterum verò Pallascę. Illic dum a cęteris seorsum, totus in Officii Divini recitatione defixus, iter facit, jumenti errorem non advertit, a quo rectâ longius digresso ad os immanis pręcipitii defertur. Nondum periculum suum animadverterat Pręsul, cum bestia ruina jam imminens subsistit; eodemque omnino momento audita vox revocantis, ac monentis, ne ulterius progrederetur. Ad quem respiciens, hominem ejus nationis similem, concitatiori ad se cursu venientem vidit, qui accedens, habenas apprehendit, mulamque loco difficillimo maxima cum facilitate in adversam partem convertit. Viro de se optimè merito multis gratiis actis; quandoquidem quid mercedis daret nihil apud sehabebat, eum rogavit, ut se comitare-

Ibidem p.113.

taretur, donec ad suos perveniret. Secutus ille quamdiu ad rectum iter reduceret: tum paulatim se se subducens, videri desiit, ac nullibi, accuratissimè licet perquisitus, a famulis reperiri potuit.

IX. Pallascæ verò accidit, ut Sacerdos ejus loci, Sacris Præfectus, noctis rempore, ad audiendam hominis indigenæ confessionem, quodam in saltu animam agentis, Turibio præsente, atque hospite, accerseretur. Quâ re ille auditâ, sibi eam palmam eripi non est passus. Ipsemet morituro adesse atque opem ferre voluit, etsi familiaribus id consilii minus probari videret, propter & nocturnas tenebras, & viæ difficilioris anfractus. Igitur famulo secum adsumpto illuc perrexit. Ad itineris cætera impedimenta, rupes omnino præceps accedebat, quam ægrè admodum nec sine manifesto periculo superasset, nisi in summo discrimine versanti homo, ut videbatur, ex Indorum genere opem attulisset. Cui dum pro beneficio gratias agere parat Turibius, jam ille oculis, se subduxerat, nec adesse ultra visus. Quis utrobique Angeli tutelaris visibili effigie præsentiam non agnoscat?

CAPUT XII.

In quamplurima pericula incurrit, nullis atteritur.

I. His casibus & periculis accedunt alia nec pauciora, nec leviora. Et sanè totam hanc Provincialem nostri Præsulis administrationem, si quis diligenter animadvertat, ut nullam penitus horam laboribus vacuam, ita nullum locum vestigiis invictæ in periculis constantiæ non impressum reperiet. Horum quædam ex gravioribus tantùm hîc exponam. Cap.12. pag.113.

II. Chineam proficiscentem, duobus tantùm comitibus viarum error ita abstraxit, ut luce jam dilapsâ noctem integram iter facere compulerit. Nec ut quidquam, eo toto itinere degustaret adduci potuit. Ibidem p. 114.

III. Ciguis, nomen est Villæ ad Amazonum flumen, re peractâ, præmissis Turibius domesticis, ad alium quatuor & viginti milliaribus distantem locum, contentiori passu ipse incedendo promovebat, Divinis precibus mente intentâ. Longius interea omnes progressi, ad locum rectà pervenere. Ille in viarum errores se induit. Ante oculos, eodem ferme tempore occur-

currunt, inhospitalis solitudo, rupium undique præcipitia, ingruentes ab illuni nocte tenebrarum horrores. Quid faceret? Mirâ animi æquabilitate subsistit, rupi insidet, ac jumentum loro tenens ne elaberetur, tanquam liberalissimi hospitis domicilio exceptus, sic hilari, alacrique vultu ejus noctis incommoda traducere, Divini honoris causâ, non dubitavit. Familiares ubi diu expectatum adesse non vident, adultâ jam nocte, animo gravius commoveri, atque, ut erat, rem suspicati, de sui Præsulis incolumitate solliciti anxiâ curâ omnes angebantur. Igitur per obscuram, & hibernam noctem, stipularum manipulis in faces accensis, adhibitis regionis peritissimis, ausi itinerum ambigua retrogressi lustrare, & jactare voces per umbras. Jam propiùs cum pervenissent, respondentis vocem excepere: *En hic adsum: Ecce me.* Quam secuti, Antistitem suum, habitu oris, atque animi ad lætitiam,& hilaritatem compositi inveniunt, ac secum ad hospitia deducunt.

IV. Majobambæ cum esset,pro certo accipit Indorum quosdam Christianæ severitatis disciplinam, ac vitiorum suorum increpationes a Sacerdotibus ne perferre cogerentur, nuncio Religioni remisso, in impietatem rursus ac perfidiam relapsos: cui operam, ut darent, solitudinum recessus occupasse, ibi exleges, ac securos gregatim vitam traducere. Quo nuncio veluti durissimo, ac lethali vulnere transverberatus Turibii piissimus animus, consilium statim cepit, ne ulli in iis vestigandis, ac reducendis labori parceret. Nihil proinde cunctatus, iter centum ferè milliarium pedibus conficere ausus, per loca equis iniqua, atque impervia, incredibili asperitate, montibus, fluminibus, paludibus, arboribus inpeditissima. Plures dies integros sine cibo perseveravit: non semel noctes inter vastas eremos traduxit: nonnunquam nudis pedibus, & læsâ cute cruentis, aut lacunarum coeno, aut calceorum vitio impeditis progredi coactus. Adde, pro locorum vicissitudine, nunc acutissima frigora, nunc æstuantes soles, nunc decidentes Cœlo pluvias, montium editissimas acclivitates, vallium incredibiles profunditates, planorum lubrica, sylvarum horrores, belluarum sævitiam: omnia hæc minima pars erant eorum, quæ hoc itinere pertulit. Interea adeo corpus debilitatum est, ut die quodam defectis viribus succumbere labori, ac similis exanimi jacere visus fuerit. Quem famuli verò exanimem rati, feretro ex arborum ramis prout licuit contexto, suisque stragulis instrato

Ibidem p. 115.

strato

ſtrato impoſuerunt. Inſuper veſtibus velantes, quominus ruentis interea affatim pluviæ injuriis pateret, non ſine copioſis fletibus per eam ſolitudinem deferebant, maturantes aſſequi ſocios, qui, ut tuguriolum inſtante jam nocte ex materia ſylveſtri venienti pararent Domino, aliquanto præceſſerant. Hos poſtquam aſſecuti, certiores faciunt de Antiſtitis caſu, deponuntque in medio piam ſarcinam. Primò omnes, ut extinctum lacrymabili querela proſequi, mox vitæ indiciis deprehenſis, fomentis, ac remediis admotis juvare. Elapſo duarum ferme horarum ſpatio, vivere eum manifeſtè compertum: viſuſque veluti ex profundo ſomno excitari, eâ vultus hilariate, quâ ſemper uti ſolitus erat. Tum famuli circumſtare, orantes, ut virium defectum aliquâ refectiunculâ recrearet. Atqui adduci non potuit, ne jejunium, quod eo die ſervare propoſuerat, violaret. Solo tamen ſtratus imbre madido paucarum horarum ſpatio jacens quietem cepit: vigilantibus interea qui aderant, ac metuentibus ne feris, quibus ſolitudo abundabat diſcerperetur. Quippe inter noctis, locique horrores, auditi Leones, Urſi, Simiique enormis magnitudinis errare propiùs, ac rugitu ſaltum ſævo complere. Jam verò clareſcente Aurorâ, feſtus enim erat dies, arâ ibidem ſtructâ ſacrum fecit. Mox iter proſecutus, ad locum, quem Ollares vocant, pervenit. Ubi Vir religioſus ex Ordine Mercedis, qui Sacris præerat, illi obviam profectus, quædam obtulit veſca munuſcula. At ne deguſtare quidem voluit, quanquam inediâ pene confectus: moris ſui, vel in ſumma neceſſitate retinens, ne prius ad locum quàm veniret, ubi ſacra futura erat cognitio, atque in Eccleſia poſt preces opus feciſſet, corpus curaret. Abſtinentiam verò illam, ſervi fame, pene enecti ferre non potuerunt: iis enim, quæ offerebantur clanculum acceptis, omnia continuò abſumpſerunt. Inde ad homines quos tanto ſtudio quærendos ſuſceperat venit. Numero erant ferè centum. Plures ætate jam grandiori, nec elementis quidem Chriſtianæ fidei initiati fuerant. Alii octogenarii, & initiati, nondum ſacro ritu confirmati erant. Omnes in ſumma Divinarum rerum ignorantia verſabantur. Porro incredibile dictu eſt, quâ agendi dexteritate; ac ſuavitate eorum ſe animis inſinuaverit, ut illos ad omnia honeſta, induceret. Verbis, blandimentis, & muneribus brevi effecit, ut qui Chriſto necdum nomen dederant, ultro ſe ſacro fonte expiandos offerrent: iis verò qui baptiſmum jam receperant, confirmationis Sacramentum adminiſtravit. Cuncti de-

Ibidem pag. 216.

denique se Sacerdotibus obsequentes futuros, fidem suam obligarunt. Quos omnes bonus Pastor patriâ caritate complexus' quæ facto opus essent edocuit, fidei Christianæ præceptis imbuit' eâque instructos lætus reliquit.

V. Nec illud sanè silentio prætereundum quod in ejusdem Majobanbæ tractu, Anno 1595. contigisse fertur. Secesserat more suo aliquantulum Turibius a cætero Comitatu, ut quotidianum Deo precum pensum maiori animi sui contentione exolveret. Cum ecce illi Tauri duo è proxima Sylva occurrunt, torvo ferocique aspectu formidandi. Constabat id genus belluarum sævire in homines consuevisse, ac multis exitium illatum. Timuisse Turibium in hujusmodi discrimine, Magnanimitatem ipsam in aliis periculis adamantinam, non puduit: neque enim pro virtute, aut Religione objectandum illic erat caput. Illos igitur conspicatus, ac digno, constanti, & forti Viro metu correptus, celeritate quâ maximâ potuit jumento desiliens, proximam occupat rupem, nec illam sanè omnino tutam a ferarum sævitie, nisi hanc Deus ita cohibuisset, ut propter transeuntes tauri, nec Viro, nec jumento nocere possent. Cujus cælestis auxilii, ac rei argumentum fuit Arbor in eadem rupe statim enata, quam ad hanc usque diem cerni vegetam vitentemque affirmant; ac vulgò dici, ARBOREM ARCHIEPISCOPI.

V I. Antonius Varetius in suo de hac Arbore testimonio, de Turibii periculo, paulo aliter se audisse affirmat. Verba ex Tabulis producam. „ Dum hac, *inquit*, iter facio, audivi in „ eo itineris spatio, quod Majobambam, atque Iranarum Op- „ pidum interjacet, ad radices Montis loco æquo, ac plano ar- „ borem esse in saxo vivo, & quantum memini altitudine ferè „ humani corporis: monstratusque ab iis, qui comitabantur Vi- „ ris, quindecim circiter, aut viginti locus, & Arbor, ut res „ prodigiosa. Atque inter eos Scriba Limensis Capituli retulit „ mihi cæteris audientibus eodem D. Antistite illac iter agente „ ante annos circiter viginti, plus minusve, visum fuisse in eo „ itinere ferocissimum Taurum, admonitumque Antistitem a „ familiaribus, ut saluti suæ eo saxo occupato consuleret, paruis- „ se. Ea verò Arbor tunc aridam fuisse fertur, vulgatumque „ apud omnes fama est, tanquam aliquod valde certum, haud „ ita multis post diebus viruisse, ac flores protulisse. Equidem „ illud compertum, atque perspectum affirmare possum mane- „ re adhuc arborem ipsam, ramusculis partim virentibus, par- „ tim

Ibidem p. 117.

„ tim aridis, altitudine majori, quàm hastilis militaris. Quod „ verò prodigiosum censetur, illud est, quòd arbor virescat „ in saxo etsi quo ali queat, nihil ex ea parte humoris accipere „ omnino possit; tantùm quia in eo stetit Antistes, ut sibi ca- „ veret a Tauro. Hæc ibi iisdem pene verbis huc translata. A quibus parum distat Garziæ Aguerii Viri ex Ordine Mercedis Religiosi, & Sacerdotis testimonium. Nec mirum: Fama enim plerunque res quas effert, corrumpit. Superioris narrationis plures, certioresque Auctores esse puto.

VII. Simili discrimine Totopone Turibius defungitur. Eo enim loco dum flexis genibus Divinis commentationibus vacat, ejusdem generis bestia in eum se se incitat, ac perniciem minatur. Quod unicum erat effugium, sublatis in Cœlum oculis, Dei optimi maximi opem imploravit. Nec frustra: nam lapide exiguæ magnitudinis forte oblato, quo quis lædi posse tantam feram vix sperasset, a servo qui aderat percussa, statim non sine Dei auxilio exanimata est.

VIII. Aliquando solis, atque æstus vitandi causâ in quandam Officinam, quâ saccarum aquariâ molâ purgari solebat ingressus, haud procul ab Oppido Cupe, quò iter erat, nonnihil quietis in arundinum manipulo fusus ceperat. Expergefactus, ubi opportunum ad iter faciendum tempus vergente jam sole intellexit, domo egressus, Divini officii partem vespertinam ante persolutui us, quàm iter adiret. At vix pedem extulerat, cum magno fragore domus subitam dedit ruinam, cunctaque intus oppressit. Qua in re cælestis tutelæ, atque auxilii erga ipsum beneficium, nemo fuit qui non suspiceret.

IX. Quid de laborum magnitudine, quos in sacris hujusmodi cognitionibus passim pertulit dicam? Quid de itinerum variis incommodis, ac rerum necessariarum plerunque caritate? Acta hujusmodi rebus plena sunt, Testes nihil magis confirmant. Ex iis, quæ hactenus dicta sunt judicari nemini non licet. Paucis proinde ex innumera multitudine delibatis hîc locus esto.

CAPUT XIII.

Incommoda itinerum varia, ac laboriosissima summâ alacritate, & subit, & contemnit.

Cap. 2. p. 118. I. AT sanè tanto sacræ cognitionis studio flagrabat Turibius, ut per omnia laboriosa, & obstantia eam prosequi nullo unquam tempore destiterit; nullis incommodis quamvis durissimis perterræfactus: animo, ac vultu semper explicato, & sui simili. Maxima horum incommodorum pars ab hospitii, & commeatus, vel defectu, vel qualitate, a viarum, & temporum asperitate, a fluminum, & lacunarum tum objectu tum transitu profecta est. Hæc enim quotidiana, & ubique obvia illi fuisse, vel divisa, vel omnia simul videntur. Sæpe totam noctem sub aperto Coelo, inclementissimâ anni tempestate, locis humentibus, ac minimè tutis exegisse eum testes affirmant. Cujus rei inter alia exempla hæc memoratu digna sunt.

II. Majobambam viâ, quam Naranciamorum vocant, montium salebris, atque anfractibus difficillimâ, ex Cacapojis pergebat. Quo itinere, cum ad profluentem quemdam ventum esset, quem transvadari oportebat, ita subitis pluviis torrens intumuerat, ut nec transitum daret, nec ad proxima hospitia, quæ nulla erant, regressum. At famuli cum sarcinis, & rebus ad commeatum necessariis, alveum paulo ante facilem nacti trajecerant. Itaque in ripa jacere per eam noctem, in summa rerum omnium, præter pauca poma sylvestria, egestate, atque inopia coactus fuit. At ne hæc quidem gratis in tam necessarios usus decerpi, aut absumi passus est Præsul, ne, vel cum eorum possessoris jactura cœnasse, vel potius ne vel ab arboribus munus accepisse pro administratione videretur. Mandavit itaque diligenter, ut pretium platanis, ejus generis arbores erant, pro acceptis pomis penderetur. Affirmantibus autem famulis, eas nullius esse juris, nullius pretii, deserto ac sylvestri solo temere enatas, primùm occupanti poma sua elargientes. *Ob hanc ipsam*, inquit, *causam, quia de possessione ambigitur, neque ante utendi re alienâ accepta facultas, quadruplum illis exolvite*. Tum inter eos, quanti ea poma, vel maximo pretio valerent, æstimatione factâ, visum duos regales nummos quadruplum ejus esse. Appendi proinde hanc ramis, pro decerptis fœtibus pecuniam

niam jussit : quo facto flumen contractiori jam vado tranavit.

III. Eodem planè modo Coello Calangum profecturus servos cum impedimentis præire jusserat. Mala fluvius iter medium secat ; alto enim verò, ac difficili vado, auctus insuper imbre recenti. Quem sarcinas transducere ausi, parum abfuit, quin omnia cum jumentis pronis vorticibus raperentur, præter unum illud, quo Præsulis domestica, ac sacra suppellex deferebatur, quæ una alveum sicca transvecta est, cæteris multo imbre madentibus. Hac re animadversâ, ac de Antistite sequente solliciti, homines aquarum altitudinis non ignaros in ripa expectare jusserunt. Timebant enim ne si temere se vado dedisset, altiori gurgite in grave aliquod periculum impingeretur, unde exire salvus non posset. Interea collectis alveus aquis tumidior fieri, nec spes transitus ulla relinqui, nisi aperte perire volenti. Turibius, ut magnanimus, ita minimè in temeritatem proclivis, ubi ad profluentem accessit, trajectuque prohiberi se vidit, nihil audacius, sibi agendum esse putavit. Et quanquam nox aderat, deerant cætera, præstare tamen censuit, molestias noctis in ripis subdio experiri, quàm fortunæ in suorum, suumque discrimen ancipitem aleam. Itaque ibi moratus, nihil aliud habuit, quo corpus reficeret, nisi unicum, eumque modicum panem forte a servo quodam delatum, quo inter quatuor, tot enim erant, ex æquo distributo cœnatum est, & aquâ è flumine haustâ sedata sitis. Divinis dein Officiis exolutis, gausape stravit, atque ephippio pro cervicali subjecto, tantâ animi securitate, tranquillitateque incubuit, ut si domi suæ, & in suo lecto. A secunda porro noctis hora pertenui, sed pertinaci usque ad lucem pluviâ cadente, non enim vehementes pluvias novit Pervana planities, ille sibi ephippio, & stragulo, quo jumentum tegi consueverat superinducto cavere, donec Auroræ surgentis indicia appareant. Tunc amnis ibi transitu desperato, iter adverso flumine, per ardui montis dorsum, pedesque aggreditur, Divinarum precum librum sub brachio ferens. Postquam verò circa summum evaserat, præ lassitudine progredi vix potuit. Quamobrem comites baculum ab agresti homine, quo adjuvaretur precibus acceptum, illi offerre voluerunt. Ille tamen uti fulcimento precario, & gratuito recusavit : nec prius adduci potuit ut acciperet, quàm pretium pro re nihili liberaliter agresti datum cognovit. Jugis deinde superatis circa octavam diei

Ibidem p.119.

 ho-

horam, sudore madens, ac pene deficiens, ad eam fluminis partem pervenit, ubi per pontem transitus erat. Pontes sunt apud eas gentes, non ut nobis, ex materia, & cæmentis, aut sublicis extructi, & commodi, sed ex quadam materia simillima vimini, quam *Vexunco* nominant, confecti, aut aliter ex valido transversum rudenti, quem *Guasca* vocant, ducto, atque utrinque ad vallos firmato, fluviorum latera jungunt. Huic porro funiculum inserunt in utramque partem agitabilem, trahique facilem, cui hærentes, appensique viatores, quamlibet in partem, magno sanè incommodo, ac periculo deferuntur. Illo igitur primo modo Turibius amne superato, ad Oppidum, quò tendebat, brevi pervenit: cui Oppidani cum suo Sacerdote, is erat Melchior Monsonius è Prædicatorum familia, præeunte Labaro cum sacris canticis, summâque lætitiâ, occurrisse dicuntur, atque ad Ædem sacram deduxisse. Quo ubi perventum post fusas ad Deum preces, quamvis ex via, & labore lassus, multo etiam sudore perfusus, nihil prius habuit, quàm concione Indorum coactâ, perutili oratione, suâ eos linguâ omnes alloqui, ac monere, ut vivendi rationem quàm optimam instituerent, essentque ad Sacram Confirmationem parati. Mox, factâ, solemni ritu, Deo optimo maximo, re Divinâ; iterumque de Christianæ Fidei mysteriis, deque iis rebus, quæ ad cælestem salutem consequendam necessaria sunt, pluribus concionatus, Confirmationis Sacramentum impertiri cœpit; quo in munere, ea confirmandorum frequentia erat, totum pene diem consumpsit.

Ibidem p. 119. IV. His peractis, horâ jam vespertinâ probe defatigatus, ac præ lassitudine vix consistens, cum mensâ positâ discubuisset; antequam quidquam degustaret, ad Sacerdotem versus: *Obtestor*, inquit, *te Monsoni; Ecquis alius est, qui debeat a me confirmari?* Quo hæsitante, ac responsum cunctante, ne ex labore ad laborem revocare videretur, quo maximè tempore cessandum erat, rursum: *Ecquis alius est?* ait; *Eloquere pro veritate. Neque enim celare fas est.* Ille jussu adactus, hominem ægritudine impeditum superesse fatetur, haud sanè procul, sed paupertatis, ac sordium domo oppletâ habitantem. Quo Præsul audito, mensâ surgens relictâ, ad confirmandum hominem confestim perrexit. Invenit autem in superiori contignatione (quo nullus, nisi per scalarum gradus, difficiles enim verò, nec minus domino suo infirmos, erat accessus) decubentem, atque inter sordes ærumnasque versantem. His tamen ille saluti illius mi-

felli posthabitis, aliquamdiu apud eum moratus perhumaniter consolari, ac sanctissimis monitis ad tolerantiam eorum malorum adhortari non gravatus. Demum sacro ritu auctoratum relinquens, ad reficiendas cibo vires, jam alacrior revertit. Monsonio verò diligentissimè imperavit, ut homini omni curâ consuleret, ne ærumnis conficeretur, ac submissis necessariis juvaret: largitus ad ea coëmenda pecuniam.

V. Postero die a meridie rebus ibi absolutis ad Oppidum Malam progredi voluit. Quo in itinere nocte occupatus regione clivosâ, ac perdifficili, non parum laboris perferre coactus est. Aderant Comites Monsonius, duoque alii viri nobiles, atque emeriti Joannes Cæpeda, Didacus Moralius, ex cujus testimonio hæc habemus. „ Hos (quo noctis, viæque molestias falle„ ret)ad laudes Divinas invitare.Litaniæ Beatissimæ Virginis Dei „ Genitricis primùm, eo præcinente decantatæ. Mox alia, tan„ taque fuit ejus concentus suavitas, ut omnem itineris laborem „ sopiret. Angelum quippe audire non hominem sibi vide„ bantur. Ibidem p.120.

VI. Circa secundam noctis vigiliam Malam tenuere. Apud flumen ejusdem nominis profundâ Oppidum jacet convalle, arboribus circum clausum, atque horrentibus umbris, infestissimarum muscarum, & culicum sedes. Hinc omni præterito labore deterior pestis adjungi: quippe statim densissima hujusmodi bestiolarum examina in novos hospites invehi, nec aures minus molestissimo susurro, quàm corpora rostris acutissimis fodicare, atque vexare. Nulla eas abigendi ratio reperiri potuit, unâ enim depulsâ sexcentæ coibant, irruebant. Quamobrem per totam eam noctem nulla quies data est. Hæc circa secundæ profectionis extrema tempora accidisse memorantur.

VII. Inter quæ corpori minimè allubentia, aut commoda Turibii animus præ lætitia exultare videbatur. Neque iis contentus, quæ se ultro passim offerrent, alia ipsemet sibi ex industria accersebat.

VIII. In Regione Cacapojæ (ut sexcenta hujus generis exempla præteream) Indorum Pagus est accessu perdifficilis, per prærupta saxorum, atque altissima præcipitia. Parvi tamen habuit has difficultates Turibius præ animarum salute, nisi etiam magno veluti facto compendio gavisus. Eò contendente postquam apud se statuit, nullis suorum rationibus, nullis precibus dissuaderi potuit. Nox horas jam binas exegerat, cum uno tan- Ibidem p.121.

tùm

tùm viæ duce iter aggreditur tenebris undique affusis, consilio quod susceperat non dimotus, ut Evangelii lucem Paganis illis deferret. Totum illud itineris lubricum, salebræ, rupes, anfractus, ruinæ. At his quoque incommodis fortiter obluctari, Dei causâ non dubitavit, donec ad locum veniret. Porro famuli luce insequenti eum consecuti, semitarum angustiis, ac salebris animadversis mirati sunt, cum per tenebras potuisse iter habere ubi ipsi apertiore jam die non sine exitii metu adrepere se posse sperarent. Adeo agilem Divinæ caritatis ignis illum effecerat, non ad sua quærenda, sed quæ Jesu Christi.

CAPUT XIV.

Aquâ suis precibus a Deo impetratâ, quo beneficio Incolis aquarum penuriâ laborantibus prospicit.

Cap. xii. p. 127. I. GUAILÆ Provinciæ Paræciam, Macatem vocant, anno ab millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, secundâ profectione petierat. Quo anno immodicè a Sole caloribus ardere Regio videbatur. Hîc loci incolas ingenti plenos mœrore ob exhaustum, quem unicum ad suos usus, sataque irriganda habebant fontem, invenit. Omnes enim cum eo anni spes exaruisse videbantur. Jamque pecora, & segetes languere siti, deficiente aquâ, & emori. Ipsius adventus miseros maximâ mœroris parte levavit. Sibi enim per eum, cujus famam sanctitatis jam præceperant, consultum iri statim sperarunt. Igitur illum Sacerdote suo auctore, ac duce adeunt; etiam atque etiam orant, ut sibi summâ necessitate opprimendis, vel aliò demigrare adigendis opem aliquam afferre velit. Quibus permotus Præsul, ad fontem simul se contulit. Rupem illi demonstrant præaltam, unde eo tempore pauca stillicidia, ante largissima aquarum fluenta scaturiebant. Demonstrant agri sui faciem, lætam prius, atque irriguam, tunc squalentem, siti hiantem, moriturumque segetes demittentes caput. A Deo munus illud exorandum contra Præsul demonstrat. Quamobrem aram eodem loco continuò poni jubet, rem Divinam in ea conficit; locum sacris ritibus expiat, ac lustrat; deficientes rupe humores, ut ante delabi, multis a Deo precibus contendit. Mirum dictu? Repente aqua ubertim fluere cœpit. Ab eo tempore Fons eadem sem-

ſemper largitate fluxit. Hodieque non Incolarum tantummodo uſibus copiosè ſatisfacit, ſed & verſandis frumentariis molis, & agro irrigando abunde aquam ſuppeditat.

II. Illud quoque Joſephi Sanchezii Viri ex Dominicana familia Religioſi teſtimonio fertur. Fuiſſe ex Incolis, qui certiſſimè ſibi affirmarent eo tempore, quo hæc a Turibio peracta ſunt, viſum ejus vultum fuiſſe, multo radiantem lumine, cunctorumque vocibus ipſum VIRUM SANCTUM conclamatum. Aquam verò eamdem a ſenioribus loci Sanctam ad ſuum uſque tempus appellari non deſiiſſe. Ibidem p.128.

III. Quid quod non tantùm fontem reſtituit Turibius, ſed fecit? Bernardus Alcozerius Hiſpanus, qui ab Anno 1596. uſque ad annum 1606. Præſuli Turibio operam ſuam ſummi Quæſitoris munere navaſſe, eumque familiariter, atque intimè noſſe, per Provinciam denique ſe proſecutum fatetur, ſic factum refert.

IV. „ Anni tempore ardentiſſimo venerat Præſul ad aſperrimos montes Caraſmalis, Cacapojenſis Provinciæ. Ibi ad „ æſtus, atque itineris inclementiam ſitis aſperior acceſſit. Unde „ humor peti poſſet nullus in ea ſolitudine locus;quam omnes eo „ penitus deſtitutam non ignorabant. Dum itaque nihilominus „ iter proſequitur,ecce humentis quædam ſoli ſigna ante oculos. „ Reſtitit. Latentem illic aquarum ſcatebram affirmat:certo lo„ co terram perfodi jubet. Quo facto confeſtim copioſi laticis „ proſilire vena viſa eſt,quâ omẽs ſitim reſtinxerunt.Fons adhuc „ manat copioſus, cujus hauſtu ægri valetudinem aſſequuntur. „ FONTEM ARCHIEPISCOPI vocant,ejuſque rei monumen„ tum, Crux ingens juxta defixa hodieque extat.

CAPUT XV.

Aquarum ſalubritas fontibus a Turibio *reſtituitur.*

I. NULLA fere Regio hujuſmodi fontes non habet; quos ante ejus adventum vaniſſimâ ſuperſtitione Peruvienſium impietas contaminarat. Veniens Turibius in Provinciam quotquot reperit, reliquiis nondum veteris ſuperſtitionis deletis, ſacris luſtrationibus expiavit. Inde eorum hauſtus ſalubres morbiſque curandis utiliſſimi. Nonnulli aquarum luſtralium venerationem habent de nomine Viri, Sancti appellati. Ibidem p.128.

ti. Non omittam quod Franciscus Sanchezius perhibuit de se testimonium. Laborabat hic graviter dentium dolore, acri pituitá in gengivam sæviente. Non quietem, non remedium unde peteret satis videbat. Fons ab Archiepiscopo Turibio olim expiatus, inter Cabanam, & Guardovalem Conchuci Provinciæ loca, ac de Divæ Catharinæ nomine sacer factus, in mentem venit. Aliis aquarum vim saluti fuisse fortasse non latebat. Eò proinde se confert faciem noxio humore tumentem salubribus lavat in undis: opem sibi certam de viri Sanctitate, aquarumque salubritate, quas cuncti accolæ sacras existimant, sperans, neç frustra. Eodem quippe momento, quo ablutus est genas detumuisse, seque omni tumore liberum agnovit. Quod sine miraculo fieri non potuisse idem testatum reliquit.

CAPUT XVI.

Frequenti fulmine tangi solitas Urbes, eo incommodo liberat.

Cap. xii. p. 129. I. MAJOBAMBA Urbs alpina nongentis fere passuum millibus Limá distans hoc se beneficii genere affectam in primis gaudet. Hanc Urbem, & Provinciam Turibius præcipuá semper benevolentiá prosequi visus est. Fortasse, quia omnium in aurifero Regno pauperrima, omnium situ, ac locorum asperitate incommodissima, laboris ac patientiæ uberiorem sibi materiam præberet. Ejus Aedem sacram cum rebus ad Divinum cultum spectantibus non satis splendidè instructam repperisset, multis, ac pretiosis muneribus ornavit. Totam supellectilem suam argenteam tam sacram, quàm domesticam ei dilargitus. Ibidem multis diebus commoratus, multa utiliter, multa fortiter, digneque gessit. Incolarum inopiam largissimè sublevavit, adeo ut communis Patris nomen obtinuerit. Templa, & aras complures sacravit, & locupletavit. Infinitam multitudinem a Dæmone ad Christum traduxit, infinitam sacris ritibus expiavit, confirmavitque.

II. Cum verò crebris tempestatibus, ac procellis obnoxiam totam illam Provinciam intellexisset, quia montanam, Cœlique impressionibus propinquiorem, ac propterea nihil esse a fulminibus tutum, non ædificia, non jumenta, non homines, quorum quotidie strages deplorabantur, ratus id, non tam Cœli vitio, aut naturá, quàm Dæmonis operá contingere, instrumenta ex

ære

ære fusili ingentia, ac sonora, Campanas Itali vocamus, fieri jubet, quorum tinnitu coortæ cum ipso Adversario tempestates fugarentur. Ea prout jusserat, postquam perfecta sunt, sacris cæremoniis solemni ritu inaugurata, edito loco pensilia collocari, cùm propter incolarum ad res Divinas evocationes, tum propter ingruentium procellarum depulsionem mandavit. Tunc primùm Campanæ iis in locis visæ, & auditæ sunt. Porro illud mirabile, quòd post hoc tempus fulminibus Urbs, & Provincia citra noxam tangitur. Cujus rei causam nemo ad æris vim, seu naturam, cuncti ad Turibianam consecrationem referendam putant.

III. Ejusdem generis exempla plura legas in Actis. Nam & Piscobamba Conchuci, Provinciæ Oppidum, & Charcas in Provincia Guarensi, & aliæ permultæ gentes, Campanis suis a Turibio consecratis, eandem efficaciam inesse adversus procellas glorientur. Et hic omnia in medium afferre operæ pretium non puto ad majora properanti.

CAPUT XVII.

Joannem Guttiereum a Bestia liberat.

I. AD Oppidum Taucam nomine ierat Turibius, quo tempore dies insigniter festus ab Oppidanis agebatur. Sacris profana miscere Adversarii communis semper, & ubique gentium veteres artes. Tauris illic quoque in foro populo datis, ab Aede sacra, & officiis Christianæ pietatis averterat. Immortali Turibius noster, cùm cætera omnia, tum maximè genus hoc ludicri barbarum, atque inhumanum, odio, & inimicitiis persequebatur. Nulla tamen profligandi ratio erat contra Præfectos, & vulgi morem. Hujusmodi ludus ubicunque ageretur ne aspectu quidem suo, aut suorum dignum unquam putavit: prospectum omnem in forum eripi, fenestris obductis jubebat: penetrali interea conclavi preces ad Deum supplex fundere consuetus. Cap. XIV. pag. 130.

II. Taucæ igitur ludicrum dari ubi intellexit, acutissimo veluti doloris telo perstringi sibi præcordia sensit. Erat Sacerdotalis Domus, ubi hospitabatur foro conjuncta. Jussit de more nullum relinqui prospectum: tum suos omnes a nefario spectaculo oculos abstinere. Interea coepto jam ludicro, Turibio verò Deum seriò orante, de famulis quidam Joannes Guttiereus

 nomi-

nomine, nescio quâ necessitate coactus domo exiit, & ad forum accessit. Cum ecce in illum incitatissimus ad pugnam, ac sui juris taurus recto cursu cornibus gestiens impressionem facere visus est. Nemo hominum salvum esse a tali infortunio posse existimat. Turibius, quæ causa tantum vulgi clamorem excitasset (suspicatus quod erat, miseri alicujus a bestia periculum, ut si qua fieri posset, saluti pereuntis animæ consuleret) sibi videndum putavit. Ut vidit, & bestiæ irruentis immanitatem, & famuli præsens discrimen exclamans: *Propitium habeas*, inquit, *fili Cæleste Numen*. Ductâque in crucem super eum manu, meliora illi, ac salutaria precatus. Illic velut attonitus taurus stetit: furere desiit, in arenam unde aufugerat, per se minarum, ac ferociæ oblitus revertit. Quod sine cælesti virtute fieri potuisse, nemo eorum, qui aderant putavit.

Ibidem p.131.

CAPUT XVIII.

Pueros in vita servat, a morte revocat.

I. Gaviliæ Provinciæ Peruviensis rusticanus Pagus est Garaz. Hîc agenti Turibio Mater pueri infelix, qui jam triduò ne guttam quidem lactis, sævo prohibente morbo, sugere potuerat, cum ipso ad sinum puero, jam jam animam acturo, se sistit, ac fletu magis, quàm verbis, quod ab eo impetrare velit, exponit, infantis nimirum deficientis salutem. Ille materni doloris acerbitate commotus, Alphonso Guerræ Viro ornatissimo, ac doctrinæ summis titulis insignito, statim imperat, ut ex Evangeliis super ægrotum aliquid legat. Ipse verò dextrâ signo Crucis expresso, bene, riteque precatur. Continuò ab his Infans veluti reviviscere, arridere parenti, uberi labella affigere, omni ægritudinis indicio carere. Mater gratiis actis, læta suos ad lares revertit. Idem tamen Alphonsus Guerra in suo testimonio, non puerum hunc, sed puellam: non proximè morituram, sed mortuam ad Antistitem delatam fuisse, affirmat. Cui oculato Testi, quis non libentius credat?

Ibidem p.131.
II. Altera genere Inda, fortunâ tenui, opinione verò de Viri probitate, ac sanctimonia maximâ, filio suo gravissimâ febri periclitanti, ut, vel deesse cætera, vel parum ad salutem prodesse vidit, Turibio remedium sibi esse petendum existimavit: Ad eum proinde cum puero venit, certissimè sperans ejus aspectu fore, ut ad commiserationem piissimus animus moveretur; atque

atque opem illi suam ferret. Addidit simul preces, quas & amor, & necessitas excogitare potuit maximas, vel exprimere. Quibus Præsul tandem victus; puerili capiti manu impositâ, bene precatus continuò omnes ægritudinis vires ita compescuit, ut sævire deinceps in puerum morbus nihil valuerit.

III. Eodem pene modo puer alius Guaræ, in Provincia Conchuci sanitati restitutus fuisse dicitur. At de his hactenus.

CAPUT XIX.

Caciche sanguinis fluxu perituro fert opem.

I. CAXAMARCHAM Provinciam TURIBIANIS temporibus Limensis Præsul obtinebat; post cum aliis nonnullis obtinere desiit, nimiâ ejus ditionis amplitudine ab uno regi non ferente. Hîc dum res TURIBIUS administrat, advenit a Caciche Viro Principe, ac potente Orator, ipsius se auxilio, ac precibus etiam atque etiam commendante, quippe in vitæ summo discrimine ex sanguinis immodico fluxu. His auditis TURIBIUS ab Oratore Caciche ejusdem consanguineo, ut erat ad commiserationem pronior, sic se valde viri periculo, ac malo commoveri, & vultu ostendit, & dixit: Deo quoque pro ejus incolumitate se preces fusurum. *Interea verò*, inquit, *adversus ejusmodi ægritudinem, gramen illud* (digito monstrat) *utilissimum fore existimo*. Gramen erat nullius nominis in triviis nascens, nec tali efficaciâ a natura præditum. Orator nihilominus decerpsit: mox actis gratiis, ad Caciche regressus. Assiduâ sanguinis profusione jacebat ille ita debilitatus, ut non diu vivere posse videretur. Reditu tamen consanguinei Oratoris a Viro Sancto nonnihil recreatur. Continuò monstrati graminis vim experiri lubet: utque monuerat Præsul, inter manus attritum, naribus inserit; unde sanguis affatim defluebat. Mirum dictu! Vim non gramineam sed Cælestem sentire cruor visus, tam subitò se intra venas suas retulit, atque continuit, ut nunquam deinceps effluxerit. Mansit autem honos & herbæ illi, post tale prodigium, atque utuntur in venenatis pro antidoto Hispani passim, atque Indi HERBAM SANCTAM SANCTI ARCHIEPISCOPI (nam ante obscuri, & ignoti nominis fuit) appellantes.

Cap. xv. p. 132.

CA-

CAPUT XX.

Surdus, & Mutus a TURIBIO *interrogatus audit, & loquitur.*

Ibidem p. 132. I. ILLUD verò longe maximè mirabile, quod in Pallascæ rusticani Pagi cognitione accidit. Jusserat ibi omnem multitudinem Sacramento Confirmationis consignandam, in Aedem sacram certo tempore convenire: Cumque jam plurimi adessent, rite omnibus confirmatis; rogavit: Superesset ne alius adhuc quem confirmaret. Affirmantibus qui aderant plures decumbere adversâ valetudine lecto defixos. *Hos verò*, inquit, *accersere non est usus. Præstat enim me sanum, atque incolumem* Ibidem p. 133. *domum singulos convenire, quàm maximo suo incommodo, salutisque periculo, eos adhuc ad nos advocari.* Statimque ad eorum domos licet rusticanas, ac sordidas circumduci voluit. Quo facto, Ecquis superesset alius nihilominus quæsivit; responsum, hominem adhuc unum superesse, sed qui nec audire quidquam, nec loqui posset. Relictum proinde, ut ad talia sacra ineptum. Accersiri eum jubet: forsitan, inquiens, loqui poterit. Adducti altiori in aurem voce clamat, linguâ illi maternâ, quo vocetur nomine rogat. Nil audit, nil respondet. Tum Præsul Viri manibus in Crucis similitudinem ad pectus decussatis, genibus ipse ad terram procumbit, orat, Sacerdotale amiculum inducit. Exin surdas majori voce aures complens, de Sacramento Confirmationis plura, ac necessaria profatus. Operam perdere iis, qui aderant videbatur, cum surdo frustrà canere Præsul videretur. At perseverante TURIBIO, atque suum, ut ederet nomen imperante, illud tandem Mutus cunctis audientibus ter, quater pronunciavit: nec deinde ullam emisit amplius vocem. Quo audito, ut cunctos admiratio prodigiosæ rei cepit, sic opinio de TURIBII sanctitate concepta altius animis insedit, invaluitque. Ille verò omnia Cælesti, nihil suæ tribuens virtuti, homine quamvis misero, Sacramento Confirmationis rite inuncto, ubi reliquum jam esse neminem intellexit, ne acclamantium voces audiret, e medio abscessit.

II. Idem cum Inda ejusdem fœmina eodem planè exitu factum narratur.

III. His haud minora Carvasii Pagus a Divo Petro nomen ferens olim suspexit.

CAPUT XXI.

De Puero nondum baptizato prædicit Servus Dei.

I. AD hunc locum cum venisset Turibius, deque rebus Divinis in Templo Concionem haberet, Paganorum, atque accolarum, confertissimâ multitudine circumsistente, puer e media turba ploratus importunos attollere cœpit. Gravem sibi, ac molestum esse clamorem illum non obscurè Præsul indicavit, quippe quo concio tota turbari, avertique ab auscultatione Divini Verbi videretur: mox ad circumstantes versus. *Puerum*, inquit, *illum perquirite, ut Christo initietur, neque enim adhuc per Baptismum inter Christianos locum habet.* Imperata quibus mandatum fuerat statim faciunt, puerum plorantem, ac vociferantem e medio abducunt; ex parente, utrum Christo adscriptus unquam fuerit, diligentissimè inquirunt. Re in examen vocatâ, cognoscunt puerum nunquam Christianæ Religionis mysteriis Baptismo initiatum. Quâ re compertâ, sine mora salutaribus Baptismi aquis tingitur: quo facto pueri comploratio omnis cessavit. Divino instinctu eam rem Antistitem cognovisse ut nemo dubitavit, ita totius populi acclamatione, virtus ipsius, ac sanctitas in Cœlum elata. Vivetque etiam nunc apud ejus loci incolas rei tam insignis, vulgatæque memoria.

Cap. XVI. p. 133.
Ibidem. p. 134.

CAPUT XXII.

Fœminam Fidem semel Christianam solemni ritu professam, Sacramentum iterare volentem agnoscit, ac manifestat.

I. CONTRA in Paræcia ex Divi Bonaventuræ nomine appellata, Turibio Provincialem laborem obeunti, in maxima datum Christo nomen confirmantium turba, utriusque sexus, cujusvis ætatis, ordinis, fortunæ, numero circiter CCL. Mulier annum agens prope quinquagesimnm, oblitâ jam olim primâ ejus in Provinciam egressione, in fidei professione, ab eodem se confirmationis oleo oblitam, iterum confirmanda accesserat. Non fefellit oculatissimi Pastoris prudentiam, aut memoriam, oviculæ suæ aut ignorantia, aut oblivio. Quam contuitus. *At hæc*, inquit, *minimè iterando Christianæ Religionis ritu, inuncta est jam semel.* Eâ negante, affirmante Antisti-

Ibidem. p. 134.

tisti-

tistite, Parochus, parentes, proximus quisque advocatur, ut testimonium dicant. Omnibus memoriâ per longum tempus exciderat; pars ambigunt, pars negant. Tum Præsul *Equidem* ait, *bene memini, huic, tali loco, tali tempore, me olim sacrum signum illevisse. Confirmatorum ejus loci tabulæ afferantur, videantur, necesse est enim, & hujus nomen in eis legi.* Allatis tabulis, duodecim ante annis inscripta nomina recitari jussit, in quibus, & Mulieris, & ejusdem parentum, & fidejussorum perspicuè reperta, ac lecta.

II. Quæ ibi admiratio universos cepit! Quàm TURIBIANÆ sanctitati ab omnibus acclamatum! Neque enim prodigiosam illam memoriæ vim, tanto temporis intervallo, singula quæque rerum, locorum, personarum indubitanter reminiscentis naturę magis felicitati, quàm Divinitatis beneficio, virtutisque merito adscribendum esse quisque existimavit. Evangelici Pastoris partes, oves suas cognoscentis, & vocantis eas nominatim, quis hîc in nostro desideret?

III. At minus hoc fortasse mirum videbitur, si non unius quidem, aut alterius, sed singulorum in suo grege tam vario tam multo, tot Provinciis, terrisque diffuso, degentium nomina fere omnia, vultus, mores, eumdem novisse, dignis testibus confirmari posse non nesciet? Nimirum quò omnibus omnia fieret, singulos quoque, eorumque statum, ut cognosceret summâ diligentiâ, studioque assecutus est.

CAPUT XXIII.

Diœcesanam Synodum habet.

I. HINGUARAM proficiscitur: quo in loco, Bernardo Alcozerio teste, complures dies commorari Diœcesanæ Synodi causâ coactus. Hæc porro Synodus cæterarum omnium quas ante habuerat quædam synopsis, atque breviarium fuit. Præterea multa ibidem piè, ac splendidè gessit. Præcipuè verò liberalitatem suam erga indigentes ostendit. Oppidani ad hæc usque tempora, summa diligentiâ, ac veneratione, ornamenta quædam pretiosa, quibus eorum sacras Ædes locupletavit servare dicuntur.

CA-

CAPUT XXIV.

Futuram Serenitatem prædicit.

I. DIvino ſpiritu non caruiſſe paulo ſuperius memorata de Puero non dum Chriſtiano ſatis perſpicuè demonſtrant. Ex his tamen fides accedat, quæ nunc referam. Cap. XVII. p. 135.

II. Re apud Palaſcam peractâ, duo movere inde volenti incommoda imminere videbantur, dies jam in noctem inclinatior, & Cælum nimbis horridum, flammiſque coruſcum. Quamobrem etiam atque etiam obtinere ab eo precibus loci Sacerdos, (is erat Joannes Palmos) adnixus eſt, ut in poſterum diem profectionem differret, eamque noctem, quam procellarum arbitrio fœdiſſimam adornari videbat, hoſpitii ſui ſecuritate commutaret. Exorari nullis precibus potuit. Cur enim re jam confectâ illius temporis jacturam faceret? Qui alienos cibos fruſtrà abſumeret? Profectionem verò ſibi commodiſſimam fore; non illunem noctem, non pluvium Cœlum, non procellarum conflictus. Hæc dicens, inter majores Cœli minas, ac ruentes imbres, equum profecturus admiſit. Continuò, mirum viſu! omnes veluti re attoniti minæ Cœli poſuere; nimbi momento diſcedere: in miram tranquillitatem turbo omnis deſinere, ad empto mox die, facie nox ſolito clariore ſuccedere. Quæ admiratio hæc fieri cernentium conſecuta ſit, ego non dicam. Plus tamen Præſulis ſanctitatem admirati ſunt omnes, qui temporis eas vices præſcire potuiſſet, antequam ullo deprehendi poſſent indicio.

CAPUT XXV.

Adoleſcenti Sacerdotium prædicit, & Animarum præfecturam.

I. SEd non minus quod ſequitur prædictionis habet. Villam Jeque, Repague dictam, in convallibus viſebat, cum Marcus Garzia bonæ ſpei tunc adoleſcens, ſeptimum vix ſupra decimum annum attigerat. Hujus ibi parenti Viro ornatiſſimo, atque inter ſuos facilè Principi, adoleſcentis indolem contemplatus, in familiari ſermone aliquando dixit. Diligentem juvenis curam ageret, olim enim futurum ut ejus Villæ Sacram Præfecturam Sacerdos obtineret. Vaticinii fidem, tonſo Ibidem p. 135.

ado-

adolescens christiano more capillo, devotoque Divinis obsequiis capite, paucis proximè consecutis diebus, ratam facere visus. Mox a Christianæ militiæ Sacris, ad arma, & castra juvenili ardore, ne dicam levitate, traductus, cum sanctioris vitæ studiis

Ibidem p.136.

omnem TURIBIANÆ prædictionis spem aboleverat. Diu in Insulis Philippinis stipendium meruit. Viginti post annis in Patriam regressus, rerumque humanarum fragilitate introspectâ, castra iterum mutare constituit. Inter Augustiniani Ordinis Religiosos adscriptus, ac pietatis, virtutisque partes insigni fide secutus, per suos brevi gradus, ad ordinem Sacerdotalem pervenit. Denique, uti TURIBIUS prædixerat, quis enim cœlestia vertat consilia? ipsi soli natalis suæ Villæ summâ omnium voluntate præfectus, in eo munere singulari sollicitudine, animarum saluti invigilans, diu vixit: quæque ... hactenus juratus ille testis primus exposuit.

CAPUT XXVI.

Panis ad rem divinam ex longinquo petitus non sine prodigio celeritatis opportuno tempore uti prędixerat affertur.

Ca. XVIII. p. 136.

I. AD Villam quandam Cacopojensis Provinciæ, Ingenium vocant, cum pervenisset rem ibi Divinam facere se velle dixit. Festus ille dies cum sequenti agebatur: quibus diebus, sacris adesse quemlibet pium Christianæ leges obstringunt. Postquam Sacrificii tempus advenerat, cæteris jam ad illud paratis, panis deesse deprehenditur. Ministrorum ibi magna turbatio; neque enim quid consilii caperent; quidve facto opus esset, exploratum satis habebant. Jam hora tardior, matutinarum videlicet septima, agebatur: non Oppidum, non Pagus nisi longinquior: iter equorum cursibus ineptum, nec pedibus quidem satis expeditum. Millia passuum duodecim Xacapatum loco aberat minimè omnium peti incommodum. Eò hominem certum properare jubent cum litteris ad loci Parochum petentes panem necessarium ad Sacrificium, quâ celeritate fieri queat maximâ, per puerum suum ad cursum recentem, atque impigrum submittat. Interea ad Præsulem res defertur. Nihil commovetur. Ministros quoque sollicitos esse vetat. Opportuno tempore affuturum hominem a Xacapato affirmans. Quid mul-

multa? Non a dictis eventus longè abfuit. Etenim non ita multo post, confectis intra trium horarum spatium quatuor & viginti passuum millibus (dictu citra prodigium incredibile!) per impeditissimos, atque asperrimos montium calles, venit expectatissimus cum azimis puer, potuitque peragi legitimo tempore Sacrificium.

CAPUT XXVII.

Hominem in asperrima solitudine vitâ defungi indicio ignis nocturni præsagit, & opem fert.

I. AT illud in ejusdem Provinciæ tractu, incredibilem Christianæ caritatis ardorem cum quadam animi divinatione complecti, quis neget? Nocte in itinere deprehensus, in hospitium Viri boni, Joanni Rojæ Alvarado erat nomen, advenit. Ubi postquam pro loci, atque hominis facultate liberaliter exceptus, in cubiculum deductus est, per fenestram Regionem circumspectans, procul ad novem circiter passuum millia, nocte tenebris atrâ, exactâ horâ jam decimâ, collucere ignem prospexit. Ab hospite cujus rei loco eâ noctis horâ ignis indicium sit sciscitatur. Magalia Indorum nonnulla ibi esse Alvardus respondet, quibus fortasse igni esset usus, aut tugoriolum illorum aliquod incendio depasci fortuitò. *Quid? Si qua alicui summa necessitas inciderit*, ait Præsul, *cui sit operâ nostrâ occurrendum, petaturque ignis indicio auxilium? Equidem nobis eò contendendum esse existimo, idque indicii minimè contemnendum. At omnia rupes, atque avia montium*, addidit Hospes, *per quæ locum adire possimus non video. Esto*, retulit Præsul, *contemnendum tamen non est. Omnia cæleste Numen, quantumlibet aspera, atque ardua coæquabit.* Igitur eò simul ausi contendere, adrepentes paulatim per avia, & scopulos ad montes edita, ubi ignis cernebatur, nihilque repertum est obicis, aut inaccessi, omnia cælesti Numine uti præmonuerat Præsul, complanante. Ubi perventum ad locum est, ecce homo miser ex Indorum genere solus, humi in stipula jacens, cum ægritudinis acerbitate, ac præsentis horrore mortis colluctari visus. Quòd in tempore venisset Præsul, Deo Maximis gratiis actis, statim hominis æternæ saluti consulere cœpit. Accedit: ad peccatorum Cap. xix. p. 137.

 suo-

suorum pœnitentiam, & confessionem exhortatur; ægritudinis cruciatus brevi in æternæ felicitatis gaudia mutatum iri, si patienter, ac Divinæ voluntati consentiens perferat, pollicetur. Omnia denique facit, ac dicit, quæ in mortis, atque æternitatis confinio versanti, necessaria esse videntur. Nec sanè operam perdidisse pœnitendum fuit. Aeger enim talibus auxiliis optimè usus, nihil eorum, quæ ab Antistite suadebantur facere omisit, donec per ipsius manus spiritum Creatori suo, a quo acceperat, cælesti felicitate donandum tandem restituit.

II. Hæc Vir ille bonus jam octogenarius Christophoro filio, non sine lacrymis, & sanctitatis admiratione de Turibio narrabat. Quorum ipse ex auditu testimonium in Tabulis amplum perhibuit.

CAPUT XXVIII.

Ad Gentes Christiano nomini infestas Fidei lumen infert.

Cap. xxi. p. 150. I. IN ejusdem Provinciæ finibus Motilones habitant, genus hominum ferum, ac barbarum & a Christianis moribus, & sacris alienum. Ex his, Præsulis Mogrobesii clarissimæ virtutis radiis eò famâ delatis, nonnulli visendi tantum Virum studio permoti, Cacopojas Urbem, ubi eum res agere intellexerunt adveniunt. Humanissimè ab eodem excepti, Christianæ disciplinæ præceptis erudiuntur. Attulerant quædam Viro munera, quæ ipsorum Regio propria fert, psittacos, pinea poma, lacticinia. Omnia ille more suo recusavit, citra suspicionem contemptus. Tum rogantibus, ut in eorum fines proficisci vellet, maximam ibi voluptatem ex plurimorum ad Christianam rem transitu percepturus, postquam de ea re Viros doctos consuluit, libenter annuit.

II. Quæ apud eos porro gesserit, eorum nihil, qui hæc narrat, meminit Testis. Tantùm magno vitæ suæ cum periculo profectionem illam suscepisse, ob inexpiabile ejus gentis in Christianos odium, adjecit. Ex aliorum tamen testimoniis, & publicâ fide conjectare licet, quàm utiliter ad eam rem laboraverit. Quippe, ajunt, multa ex hoc genere centena hominum millia toto suo Provinciali tempore, de barbaricæ perfidiæ, atque impietatis naufragio ad fidissimum veræ Religionis portum traduxisse. Quod egregium facinus, si quando alias illi evenit feliciter,

Ibidem p. 151.

ter,

ter, quis dubitet in præsentia feliciſſimè eveniſſe, ab iiſdem Chriſto dare nomen, & Sacramentum cupientibus acceſſito?

III. Ad has autem gentes tendenti non magis ab eorum barbarie timendum erat, quàm a difficultate viarum. Ingentia paſſim flumina, quæ vel per tranſverſum rudentem, fune ſuſpenſum circa femora, ut ſupra demonſtratum, vel lintribus e paleis, juncis, aliâve materiâ ſimili compactis, tranſire oportebat: paſſim cœnoſæ paludes, ſaltus inacceſſi, anguſtiſſimæ montium fauces, horrendæ, vaſtæque ſolitudines, ſalebræ, anfractus, præcipitia. Porro tanti vel unius abjectiſſimi homunculi ſalutem faciebat, ut tam difficilia incommoda & manifeſta pericula ultro alacriterque ſubiret.

CAPUT XXIX.

Fœminæ in partu extremùm laboranti præſto eſt.

I. MAJOBAMBAM revocat nova res. Sequi certo locorum ordini minimè obnoxium non pigeat. In quadam ejus Urbis Paræcia, Mulier ſub adventum TURIBII, prolem eniſura graviſſimis cruciatibus, ob difficultatem pariendi conficiebatur. Nuntius ad Parochum nocte intempeſtâ miſſus, ut ad opem pereunti ſummam ferendam, ſacriſque animam expiationibus procurandam quàm citiſſimè adeſſet. Non latuit TURIBIUM Nuncius, non puerperæ ſumma neceſſitas, quâque erat miſericordiâ ſemper in alienis malis præditus, quâ caritate ad auxilium ferendum inflammatus, Parochum ipſemet agere magnopere voluit. Nec temporis momento interpoſito laboranti ſtatim præſto fuit. Ipſius adventus laborum fuga fuit. Etenim ubi domum pedem intulit, ac verbis mulierem humaniſſimis ſalutatam conſolari cœpit, tam feliciter illa maſculam prolem in lucem edidit, ut ſe peperiſſe prius viderit, quàm ſenſerit, nullaque pro nato puero gaudium moleſtia labefactavit. Quod beneficium ita mulier TURIBIANÆ virtuti acceptum retulit, ut aliâ ratione ſe certiſſimè perituram fuiſſe non dubitaret. Cap xix. p.138.

CAPUT XXX.

Alia alibi præclarè gesta.

Cap. xxi. p.138. I. SUNT nonnulla, quæ ad certa licet capita reduci non facilè possint, negligi tamen minimè debere videantur. Memoratu in primis digna se offerunt, quæ in Pacaravana Regione accidisse feruntur. Duodeviginti ferè horas principe in Oppido ubi in Divinarum rerum administratione, laboribus nunquam fessus perseverasset, nullâ vel requie, vel morâ in vicinum Pagum cognitionem promovit. Sequi cœpit eumdem Franciscus Cabiscius Limensis Sacerdos horum Testis. At ea erat itineris asperitas, ut passim Cabiscius casum ac ruinam sibi pertimescens, adminicula quæreret, quæ illi adjumento essent. Nec verò diu sequi perseveravit, difficultatibus fractus, atque in Oppidum regressus, quò se ad reficiendum corpus rediturum Præsul promiserat. Quid ipse? Illud iter ingenti alacrique animo susceptum, tantâ confecit agilitate, ut nullo usus fuerit adminiculo nullâque alterius ope. Pervenit ad locum omnia diligenter cognovit, quæ opus erant curavit, eodemque die jam in noctem vergente jejunus ad Oppidum sese retulit.

Ibidem p.139. II. Postero die Lampianam eodem Cabiscio comite petiit; quo in itinere acclivi maximè ac præcipiti, ferreæ solæ jumenti ab ungulis partim refixæ, partim malè hærentes, bestiæ impedimento, ipsi erant periculo. Re animadversâ Cabiscius, eum magnopere oravit, ut in jumentum suum optimè soleis instructum, atque a natura mitius se se recipere vellet. Nihil tamen profecit: nec persuaderi unquam potuit, ut jumento cum meliori commutato periculum suum efficeret alienum.

III. Lampianæ biduum moratus, in opere perpetuus fuit: Altaria complura consecrata, ingens hominum multitudo Divinis institutionibus auctorata, multi ad Ordines Sacros, & Sacerdotalem promoti. Quibus atque aliis id genus rite peractis, a prandio, cum diei adhuc particula superesset, statim movere parabat. Contra omnes domestici, atque Oppidani de itineris magnitudine, vicinâ nocte, locorum præruptis, periculi certitudine commonefacere, ne se suosque in apertissima discrimina inferret, orare, quorum indulgendum potius voluntati ratus, quàm suæ, eam ibi noctem traduxit.

IV. Erat in Oppido homo miser perditæ mentis, de quo datum

tum Christo Sacramentum, ratum ne fecisset unquam, nec ne? Hunc illi sistunt, ut quid facto opus esset, ex ipsius judicio intelligerent. Quem quidem nullam in eo diligentiam omisisse dicunt, ut ab amentia liberaret. Quid verò profecerit testes non addunt.

V. Candomarcham porro Paræciam, tridui itinere locis asperitate, atque horrore plenis, pedibus sparteo funiculo inclusis, ac solo baculo viatorio (quis enim eò adigat equos?) confecto, ipse labore penè attritus accessit. Omnes ejus loci ex Indorum genere incolæ, atque omnis ætatis, audito tanti Viri adventu, ad unum illi obviam contendere, numero ferè mille quingenti. Quibus patriâ caritate comitateque susceptis, mox in concionem advocatis copiosissimam de rebus Divinis, atque ad æternam salutem necessariis orationem habuit. Itaque animis ad Fidem, Fideique confirmationem faciendam eruditis, atque inflammatis, omnibus, ut par erat, consuluit, hos Christiano nomini adjungendo, illos jam adjunctos confirmando, alios suavissimè admonendo, & consolando, plurimorum inopiam copiosis largitionibus sublevando.

VI. Non defuere, qui ejus apprime beneficiis devincti, vel deditissimi animi obsequium contestandi studio, munuscula pro Regionis more, ac naturâ deferrent. Martium pelles, mellis phialas, uvas passas, atque id genus plura. Quibus, & si quamplurimas se se habere gratias seriò pro iis affirmavit, ab omni tamen vel minimo eorum munere accipiendo manus abstinuit. Ibidem p. 140.

VII Hinc digressus ad torrentis ripam pervenit. Aquarum rapiditas ibi, atque altitudo ingens collectis imbribus metui erant. Necessarium tamen videbatur transducere, ne hospitio, nocte, instante, ac turbidâ, cum suis carere cogeretur. Erat in comitatu Bernardinus Mogrobesius equo vectus prægrandi, atque ut videbatur prævalido. Hic Turribio persuaserat, ut mulâ quâ utebatur, magnitudine sanè ac præstantiâ impari, cum equo suo commutatâ, vadum eò tutius transiret. Quod, dum parat Bernardi Alcolzerii consilio affirmantis præstare equo mulam bonitate atque experientiâ, ab incœpto revocatur. Eâ re Mogrobesius ille nonnihil offensus, quod judicio suo, atque equo ita detrahi videretur, utriusque experimentum continuò accipi voluit. Famulo mandat, ut in omnium conspectu bestiæ dorso insidens, equi atque fluminis periculum faciat. Præsulem cum Alco-

Alcozerio rogat, ut bonitatem jumenti diligentius interim animaduertant. Vix altiori vado equum, seque induerat famulus, cum præcipiti aquarum agmine dejici, corripique unà inter pronos vortices visus. Eripuit peritia natandi utrunque ad ducentos ferè passus abstractos, diversâque ripâ vix emersere. Divinam ibi Providentiam omnes agnoscere, ac demirari; immortales insuper gratias agere, quòd Præsulem ita servatum voluisset. Ille autem flumini signo salutiferę Crucis impertito, ausus transitum mulâ suâ invectus experiri, quem vorticibus cęlesti profectò virtute mitigatis, ita facilem habuit, ut sine periculo cum toto comitatu ad ulteriora pervenerit.

VIII Jam Cuquiquillam petenti, antequam perveniret ad tria circiter millia passuum itinere perangusto, ac difficillimo illud evenit. Mulâ vehebatur naturâ contumaci, atque effreni, & si juri suo relinqueretur, in omnem licentiam ruitura. Huic, tali loco ore frenum excidit, habenæque per libera colla fluxere. Periisse putabant Antistitem, qui viderunt, neque enim aliquid ex ingenio suo furens bestia non factura videbatur. Hortabantur proinde, ut si fieri posset in tutum se reciperet, vel saltem non procederet, donec habenas restituerent, ne si libertatem suam sentiret bestia secum per præcipitia devolueret. Nihil horum ille opus esse affirmans ad periculum intrepidus, nec pro salute sollicitus, manu fluentes habenas sustentans, Dei auxilio se totum commisit. Totum igitur illud itineris ad bruti ingenium ita peregit, ut nunquam sedatius, aut moderatius. At vix in loco desilierat, cum suis intemperiis agitata mula furere cœpit. Non illam diu, multumque calces jactantem, famulorum nota vox, nota manus prohibere poterant, aut retinere. Deû cęlesti ope Turibio in tam manifesto periculo adfuisse omnes putârunt.

Ibidem p.141. IX. Ex eo porro loco Taquilponem Pręsul pervenit, Santa flumen interfluit, rapidum in primis, ac maximum. Hoc per funem, quemadmodum aliàs demonstravi, transire bis opus fuit.

X. Dies Dominicæ Passionis anniversarii cœperant agi cum Chicamam adiit, quò antequam perveniret, alterius fluminis moras eluctari coactus est. Nocte jam cœptâ illud se se obtulit, altissimas rupes ingenti murmure personans, atque insuperabili vado. Famulorum plerique cum impedimentis, ac cætero commeatu, præcesserant. Imbrium veritus accessionem Turibius, ac transitum attentare non ausus, ripæ hospitio eâ nocte utitur. Fluvia-

vialis arena culcitram, ſtragulum pulvinar incurato corpori dedit. Inter quæ adverſa, & incommoda, mirum dictu! quàm præ gaudio præcordia illi geſtirent, explicaretque frontem lætitia. Nihil quotidianarum precum, quas plurimas Deo perſolvere conſueverat, miſſum fecit. Acceſſit ad hoſpitii cęteras moleſtias, muſcarum, & culicum importuna ſævitia. Quá tamen non contentus Turibius, voluntariis afflictationibus cumulavit. Nam per ipſam quietem digredi ab aliis viſus, ſpecie quidem eas beſtiolas vitandi, in loca opaca, atque arboribus impedita, verè ut ab innocenti corpore more ſuo pœnas cruentis flagris exigeret. Diluculo tranſvadare flumen auſus, quà minus rupium anguſtiis arctari, frangique videbatur, ſummá facilitate alveum ſuis, imbriumque hiemalium aquis tumeſcentem trajecit. Res pro miraculo celebrata.

XI. A Chicama peragratis aliis locis, Divinisque officiis in Dominicæ Paſſionis memoriam religione ſummâ rite perfunctus, iis præcipuè, quę in die Cœnæ peragi ex Divina, atque Eccleſiaſtica inſtitutione mos eſt, ad Oppidum Santam progreſſus. Ibi fœminam nobilem ad ſummā rei familiaris inopiám redactam, liberorum grege ſolùm abundantem, cum ipſius illa opem fidemque imploraſſet, mirâ liberalitate juvit. Ducenos enim aureos ex pecuniis, quas in pauperes erogandas circumferebat ad coëmendas veſtes, ſibi, ac liberis, quarum defectu a publico, ac Divinis rebus abſtinere cogebantur, ſtatim numerari juſſit. Liberorum verò duos adoleſcentes, cum viatico, ac litteris Limam miſit, quibus & Regio Præfecto eorum nobilitatem commendabat, in Academiam a ſe excitatam adſcribi jubebat.

XII. Morum quoque Villam ſecundò petiit, ut Indorum nonnullos, quos biennio ante uti ineptos excluſerat, jam ut putabat idoneos, in Chriſtiana diſciplina confirmaret. Ibidem p. 142.

XIII. Atunguailæ, cum ex ſacrorum ibi Præfecto audiſſet plures de Indorum genere trans flumē Santam gregatim habitare, poſt datum Chriſto Sacramentū in antiquas ſuperſtitiones revolutos; quo genio ſuo ac perfidiæ indulgerent liberius, procul Sacerdotum oculis, procul inſtitutione, eò ſe transferre ſtatuit, ut eos ad ſanam mentem reduceret. Fune igitur, ut ſuperius dictum, trajicit amnem nec cymbas, nec pontem ferentem; perfugaſque repertos, patriâ increpatione perſtringit, exhortatione revocat, inſtitutione docet. Exin dato Judice qui adverſus Religionis perfugas jure ageret, iterumque in fune amnem remenſus, Atunguailam rediit.

XIIII.

XIV. Inde Jungajum profectus, multa ibi laboriosè, multa utiliter administravit. Refectiunculam rerum vescarum a fœmina principe dono missam, cum gratiis ad eam referri jussit, nihil se a quoquam in Provincia accipere posse sine scelere affirmans.

X V. Palpam ex Oppido Aveajama ad tria passuum millia distantem, novissimâ cognitione institutâ, cum accessisset rerum agendarum magnitudine, ibi noctem coactus traducere. Postero verò die ubi Aveajamam se retulisset, ecce muliercula, Viro religioso adducto teste, suum a servis Antistitis, in hospitii ornamentum pridie commodatum tapetum, toto cum instrumento compilatum, asportatumque quærens, ac postliminio repetens. Hujus querimonia Bernardus Alcolzerius rei familiari præfectus primùm fatigatus. Quo (postquam omnem frustra diligentiam adhibuerat) negante in instrumento domestico reperiri, in servos verò ne suspicionem quidem flagitii cadere posse, quorum notissima rei alienæ abstinentia, perspecta fides in minimis æquè, ac in maximis rebus; mulier nihilominus ex sententia sua contumacior, nullum sua repetendi finem faciebat. Ni restituantur, ad Antistitem se fraudem delaturam servilem cum minis vociferans. Perfecit tandem: repertoque ad Antistitem aditu, longam adversus servos expostulationem instituit. Quibus ille auditis, statim Alcozerio omnino mandat, ut rem diligenter perquiri curet fœminæ postulanti restitui. Nullam se ille non diligentiam adhibuisse affirmavit: fraudem verò illam ad nullum domesticorum pertinere se certissimè scire. Alios, quos furti insimularet muliercula, quæreret. Tunc Dei famulus e pueris uno in auxilium accersito Attalicum de lecto suo ornamentum detrahit, traditque mulieri. Quod factum Alcozerio improbante, quod straguli id genus rarum admodum esset, ac pretiosum. *Quorsum hæc!* ait Presul, *Aliud nimirum vilius dari oportebat? At heus tu puer, i, adde & culcitram e cubili nostro.* Id quoque Alcozerio indignante, ac nimiam illius liberalitatem incusante, quòd datis mulieri culcitrâ, stragulis, sibi ad quietem captandam e lecto nudam dumtaxat humum, aut rude stramentum relinqueret. *Propterea*, adjecit Antistes, *perge puer, & cervicalia, & lintea lecto deripe, mulieri trade.* Quibus traditis. *Jam*, inquit Alcozerius, *haud dubium, quin humi te cubare delectet.* Testis quoque qui pro muliere fuerat locutus tantam liberalitatem admiratus. *Non hæc*, inquit, *Domine sibi compilata queritur fœmina, sed suum tapetem pictum ad fores velandas, non*

Ibidem p. 143.

non lectum: Ad quem ille: *Quæ jam dedimus*, inquit, *data sint neque repeti a nobis honestè possunt. Amissum verò tapetum quanti erat obsecro? Sex ut plurimi aureis* homo respondit. Et ille: *duplum*, ait, *igitur detur, quandoquidem re usi sumus, & amissam restituere non possumus*. Quibus dictis duodecim statim illi aureos numerari mandavit.

XV. Cœperat anniversarium Divinis institutionibus traditum celebrari jejunium, cum tempore hibernis pluviis maximè fœdo, Paucatambum Provinciæ Chincacusæ Oppidum venit: ex quo loco statuerat ad Indorum domicilia, quæ Guanabambam appellant, excurrere; quippe non levis ejus gentis multitudo a Christi Fide aliena esse nunciabatur. Accedebat verò ad anni tempus iniquum itineris cùm longitudo, tum difficultas ineluctabilis. Triduo pedibus laborandum erat per loca multùm impedita. Vbi verò tandem perventum foret, inhospita tellus. Cœli asperitas incredibilis, rerum omnium, quæ ad tolerandam vitam, victu, quiete, domicilio necessariæ sunt, summa caritas. Hæc a locorum Regionis gnaris prædicta, cæteros omnes adeo perterruerunt, ut nemo iter illud eâ tempestate tentandum putaret: seq; si Præsul vocaret minimè secutoros condicerent. Ipsum verò TURIBIUM, ne minimum quidem a sententia dimovere potuerunt. Adeo nihil arduum, aut inexpeditum, Divinæ caritatis impetus, humanæque salutis cupido videre sinebant. Nono sacrorum jejuniorum die profectionem parabat. Calceos tantùm e reste, baculum viæ adminiculum, nihil præterea nisi omnino necessarium assumens. Viatici nulla ratio, omnia ex cælesti Providentia expectanti. Qui sequi ita vellet evidenti periculo, reperit neminē. Nequehæc animi contumacia erat in famulis, aut laboris horror, quē tanti facere non consueverant, sed in Dominum suum pietas, quem salvum inde recipere vix se posse sperabant. Viæ se nihilominus tradere non dubitabat, si Alphonsum Guerram Virum in primis gravem, ac doctum a sententia sua alienum non habere vidisset. Hunc TURIBIUS magnopere oraverat, ac pene auctoritate coëgerat, ut ejus secum laboris partem susciperet. Cumque jam jam profecturus instraret: *An*, ait Guerra, *quæ præterito Dominico die populo ad concionem vocato, verè pièque locutus es, mente nunc tuâ Domine, excidere? Ne, a mortali homine Divinum Numē tentandum nunquam monebas. Nec fas esse manifesto se periculo credere, prodigioso Divinitatis auxilio vindicandum. Jam dictis cæteros rectè instituens, contrariis exemplis perverte? Quid hujus profectionis periculo certius,*

Ibidem p. 144.

us hoc anni tempore, hâc locorum naturâ, his viarum impedimentis? Quâ spe inducere te, tuosque in hæc discrimina cogitas? Nimirum nullâ te necessitate, nullo cælesti jussu ad hoc iter cogente sperandum est audaciori confidentiæ Numen affuturum, vias complanaturum, impedimenta amoturum, temporum vices commutaturum, commeatus e Cęlo daturum, inter medias nives, atque inhospitales saltus, ædificia, hospitalia omni genere supellectilis liberaliter instructa paraturum? Quid, rogo, tentare Deum est, si hoc tandem non est? Præsul utile consilium Guerram dedisse censuit. Vtique erat incredibili, optima quaque in re animi fortitudine, infatigabili constantiâ, adversum verò fas, ac rationem minimè pertinax, contra obniti, aut ultra in sententia sua perseverare nefas ratus: *Quando*, inquit, *differenda hæc in tempus aptius profectio videtur, idque ex Divina voluntate futurum dicis, differamus*. Ita ab ea profectione cohiberi potuit. Qua in re ut singularem in humanæ salutis procuratione ardorem, ac studium præsetulit, quo per omnia agi discrimina non recusasset; ita modestiæ exemplum egregiæ reliquit, sententiam suam, ac voluntatem tam certam alienis consiliis inflectendo. Humanæ quippe, seu naturæ, seu potius superbiæ vitio, plerique omnes etiam manifesta delicta, nedum quæ specie virtutis quandam atque honestatis præseferunt, defendere malumus, quám emendare.

Ibidem pag. 145. XVI. Per eadem tempora acliviori jam die, ad Augustinianorum quemdam fundum, Guamanzanum dicunt, iter faciens, pręcedere aliquantulum cæteros jussit, Divinis erga Deum officiis operam incedendo daturus. Interea appetente nocte, cum diu expectatum famuli, nullum cernerent, fuit inter eos, qui iter retro legere, ac moræ causam cognoscere apud se constitueret. Jamque spatii nonnihil remenso, ecce verberum sonitus audiri cœpit ex proximæ rupis secessu. Substitit; quidque illud rei sit, quemve auctorem habeat, curiosius oculis circumductis explorat. Illic Antistitem videt seminudum Christi crucifixi effigiem lævâ oculis præferentē, dextrâ ferreis flagellis corpus diverberantem, vultum lacrymis, terga sanguine probè irrorata. Rei cùm novitate, tum acerbitate attonitus homo quid ageret diu dubitavit. Expectare tandem exitum, quàm interpellare, modestiæ illius gratius, verecundiâ suâ dignius fore judicavit. Igitur postquam cæsum corpus vestem recipit, sociosque consequi celerius cępit Turibius, ei tunc homo captato tempore, ac loco, nequid a se observatum videretur, se se obtulit; tam longæ causas moræ rogat, noctis jam præ-

præsentis, remotioris hospitii, laboriosi longique itineris monet. Ille vultu ad omnem hilaritatem more suo explicato: *Dies* inquit, *dum quotidiana precum pensio Deo exolvitur, tardè incedenti fugit. Cætera Deus ipse leviora efficiet.* Et verè effecit, noctem, itineris longitudinem, & difficultatem, hospitii longinquitatem minimo labore, brevi tempore, summâ facilitate superare ut possent dato.

XVII. Sequenti die facto Sacro Indorum concione advocatâ, publicè privatimque erudire Divinarum rerum ignaros coepit. Suâ dignitate minimè alienum, aut indignum ducens, pueris Christianæ Fidei elementa explicare, allicere munusculis, singulis denarium impertiri, ut per hæc fluxa, atque mortalia, eorum mentibus ęterna, atque immortalia facilius imprimerentur. Neque verò id semel, aut hoc uno loco, sed semper, & ubique eadem modestia fuit, eadem largitio.

XVIII. Chiuccam quoque Dominicanorum Suburbanum momorabili facto illustravit. Ad hunc locum convallibus circumclusum, jeunii maximi feriis nocte compellitur. Erat inter asseclas vir clari in ordine suo Franciscano nominis Franciscus Matritensis. Is jentaculi vespertini tempore in vitrea phiala vinum haud ignobile dedit. Turibius id conspicatus, unde phiala, unde vinum esset, rogavit. Muneris quippe accepti suspicio animum incesserat. E scortea sua vinum: commodatam a Villico phialam Matritensis, respondit. *Commodatam?* inquit Turibius. *Atqui diligentissimè prospiciendum, ne ex commodo nostro, incommodi quidpiam percipiat Villicus. Pretium proinde saxis omnino detur pro commodato: neque enim re nobis alienâ uti gratis fas est.* Tū Villicus rogatus, quanti phialam commodasset, velut injuriâ se affici putavit, quòd pro rei vilissimæ brevi usu usuram percepturus crederetur; pecuniamque oblatā recusavit, nihil se accepturum jure jurando affirmans. Turibius indignabundum homine videns, ubi perjerare vetuisset, suavissimis verbis alloquitur. Non propter illiberalitatis de eo opinionem usum phialæ pecuniâ repensari jussisse, sed juxta instituti sui certissimas rationes, ne quid in provinciali negotio gratis acciperet. Haberi illi gratiam muneris; totâ liberalitate uti non posse. Maxima æquè ac minima religiosè sibi respuenda, quæ vel muneris unbram pręferrent. Honestè accipi usuram posse, quam Religio dare juberet. Quibus iram illius aliquantulum mitigavit, præcepitque ut usura phialæ, vel invito daretur.

Ibidem p. 146.

XIX. Porro Icam cum profectus esset Joanni Vasquesio e Socie-

 ta-

tate Jesu Sacerdoti in primis mandavit,ut linguâ incolis propriâ publicè populo adventus sui causas enunciaret; hortaretur que e proximis agris,ac vineis,cum parvis liberis, & cum idonea Christianis auctoramentis pube ad certum tempus adessent.Moxaudito,ea madata sine magno eorum periculo peragi non posse,propter fluvium corrivatis imbribus rapidum, quem transduci oportebat,contraria enunciare mandavit, hoc est, ne quis loco,lareve suo discederet, sed adventum suum domi expectaret. Improbi esse Pastoris, pro quibus animam suam dare debet, eas in periculum oves adducere. Se potius fluminis aditurum millies pericula, quàm unius caput semel periclitari passurum.

XX. Sed habet enim verò jucunditatem, quod in ejusdem fluminis transitu Turibianæ modestiæ accidisse fertur. Convenerat pueorum, ac puellarum multitudo ad Caballinam Vallem, quò Præsulem venturum intellexerunt, transituri; quos, ut ille adveniens vidit alvei magnitudine impediri, vadumque periculosè quæri, tolli in jumenta singulos jussit. Ipse exemplo cæteris præiit, sex circiter annos natum mulæ suæ tergo imponens. At puerum ratus, puellam sustulit; nec prius dignovit, quàm vado simul altiore, ac medio fuit. Ibi a puero, quod ejus esset nomen sciscitatus, cum Marichillam vocari accepisset, ad nomen, vocemque muliebrem totus ex palluit, nec de vestigio moveri prius voluit, aut ulterius progredi, quàm exclamanti ac jubenti famuli adessent, amotâque puellâ puerum imponerent. Adeo pudicitiæ suæ, ac modestiæ ab omni vel exiguo occasionis fomite castissimus Præsul timebat! Hujus porro facti exemplum, non omnes tantùm qui aderant admirati sunt, sed & inter eos accolas,ut singulare,æternâque memoriâ dignum hactenus tradi, celebrarique testes affirmant.

Ibidem p.149. XXI. Mira quoque sunt,quæ apud Panataguas gessisse Turibius dicitur. Ea gens a Christiano nomine longè maxime aliena, sedes barbarie, foeditateque suâ plusquam belluina, extremis Provinciæ finibus habet. Rari ad eos aditus, supraque omnem fidem difficiles. Non tamen idcirco prætereundos sibi putavit pius Pastor. Eorum verò fines ut adiit, armatorum statim globus circumstetit, atroci aspectu, cædis cupidissimus. Constitit ille intrepidus, verbisque omni humanitate plenis salutatos, alloqui cœpit. Qualis in noctis confinia sol novus irrumpens exulare tenebras cogit, talis e barbarorum mentibus, ubi primùm fines ingressus, omni oppressâ hostilitatis sævitiâ, cæcita-

tis

tis horrores, erroresque perfidiæ TURIBII adventus exclusit. Vidisses ad sanctissimi Viri pedes versâ in modestiam militari audaciâ, feritate in reverentiam, se armaque sua abiicere, fimbrias Sacerdotalis vestis exosculari, officiosâ voluntates illi suas devotione addicere, & consecrare: Contra TURIBIUM jacentes erigere; omnem operam, omnes vires, vitam denique ipsam pro eorum salute polliceri. Erat inter familiares barbarorum linguæ non ignarus qui nec intelligere, nec intelligi Antistitem ratus, interponere se interpetrem eorum, quæ vicissim jactabantur, volebat. Non permisit TURIBIUS, sibique, postquam oculos ad cęlum vertit, Deo illud muneris, cum gratiis acceptum referens, non ignotas eorum voces accidere, dixit. Multa quoque ipse latinè, atque Hispanicè in sermone enunciavit, quæ a barbaris, qui ante ne nomina quidem earum linguarum norant rectissimè percepta, atque intellecta dicuntur. Vnde non obscuris indiciis, quod modestia Viri diligentissimè ad illud tempus celaverat, deprehendi potuit, inter alia cælestia beneficia quibus ab auctore gratiæ ornari meruit, omnium quoque linguarum, quarum in accepta Provincia usus erat, intelligentiam fuisse consecutum. Hic verò illud singulare accessisse videtur, quòd non intelligere solùm, quæ ab aliis alienis verbis pronunciabantur posset, sed ipse vicissim intelligi, tanquam eorum vocibus uteretur.

XXII. Ab his, Regionis interioris partes adire aggressus, Christianæ Religionis lucem illaturus, summâ montis asperitate, avii sque præruptis prohibetur. Ibi aliquandiu in finibus morari eorum precibus adductus consensit. Quo temporis spatio sanctitatis ejus fama de illo Regionem pervagata, ingentem illuc hominum multitudinem traxit. Rudimenta Christianæ fidei omnibus tradidit, nonuullos inter Fideles adscripsit, cæteris, quibus eruditio major opus esse videbatur, Sacerdotes, Institutoresq; reliquit. Munera insuper iis plura impertivit, nullum ex iis quę offerebantur accepit. Ibidem p. 150.

CAP.

CAPVT XXXI:

Pestilentiâ in Vrbe Regum eo absente grassante, quemadmodum se gesserit.

Ca. xxv. p. 158. I. CIRCA hæc tempora Limæ pestilens annus agi cæptus, plurimique mortalium contagione absumpti, ægros capere valetudinaria vix poterant: & maxima quidem pars non tam luis sævitiâ, quàm rerum omnium egestate, ac solitudine interire cogebantur. Quæ ubi ad Pastorem absentem per epistolas delata, ut non levi animum ejus mœrore affecere, ita suum esse existimavit, quandoquidem longissimè aberat loco, auxilio, atque opibus propius adesse. Proinde rerum suarum Procuratori Francisco Quinonio mandata cum litteris dedit ut pecuniam, rem familiarem, domesticam supellectilem suam, omnia denique in miserorum sublevandis ærumnis impenderet. Cæterum si opus esset mutuum acciperet, neu quid opis, atque operæ a quoquam desideraretur, maximâ, & caritate, & liberalitate perficeret. Creditoribus, quo satisfacere posset, sibi cum vita ex Dei optimi maximi Providentia, affluentiaque sperare. Porro quem exitum habuerit hæc pestilentia, quem TURIBII mandata, testium nullus, prodit. Credibile est, & illam aliquandiu grassatam, & hæc adamussim per Procuratorem effecta. Itaque luem magna ex parte Vrbem, miserorum verò necessitates, omnem ejus anni TURIBII censum, pecuniam omnem conflatam, rem denique omnem familiarem absumpsisse.

CAPVT XXXII.

Adversus Regium Præfectum Jus Sacrum tuetur.

Ca. xxiv. p. 157. I. AD laborum Provincialium cumulum accessere cum Regiis Præfectis, jurisdictionis causâ, nonnunquam acerrimæ TURIBIO contentiones. Etenim, cum ii omnia ad regias rationes, ipse verò ad Dei gloriam atque ad animarum salutem metiretur, usuvenire necesse erat, ut in multis convenire non possent. Talis ea fuit, quam cum Regio Præfecto Aloysio Velasquio habuisse fertur.

II. Provinciam, uti superius demonstratum est, obiens TURIBIUS, nihil prius habuit, quàm ut ovium suarum saluti ita consuleret, ut cælestis pabuli defectu nulli perirent. Hinc pluribus locis cum summâ ejus inopiâ laborari vidisset, longiusque a Pasto-

Paſtoribus errantes greges hinc inediâ interire, illinc venenatis paſcuis impleri, alibi luporum in ore verſari, paſſim per omne abruptum, ac præceps a recta dilabi; datis Magiſtris, qui earum curam agerent, alimentis Divinis reficerent, a noxiis arcerent, rectum virtutis iter oſtenderent explicarentque, omni tandem ſtudio iis providere curarent, maximè juverat. Quatuor (præter cæteros in Provinciæ Guailæ, Gamay, Cavixamaxi & Campicorongi) Chincacochæ Parochos conſtituerat, ſinguli annui cenſus portione, quam piiſſimi Regis liberalitas in hujuſmodi Chriſtianæ rei uſus dari a Præfectis mandaverat, aſſignatâ. Quod ubi Præfectus intellexit, quia ſe inconſulto fieri non potuiſſe putabat eam Parochorum additionem ad judicium ſuum, atque inutilem eam abolendi, Regiæ liberalitatis adminiſtrator avarus conſilium cepit. Vt a re nefaria abſtineret, Turibius monuit. Facultas Parochos ubi opus eſſet conſtituendi Sacrorum Prçſidis eſſe, non Regii Præfecti. Hujus eſſe pecuniam Regiam conſtitutis impertiri. Augere autem, aut minuere ſacrorum miniſtrorum numerum, ſine injuria utriuſque Juris non poſſe. His tamen parum profecit, contendente Præfecto, temere a ſe Regiam pecuniam non impertiendam. Videndum quibus? an utiliter? an juſte? Controverſiam tandem Regii Senatûs judicium, ad quem appellare opus fuit, adverſus Præfectum decidit: cenſuitque ab ejus munere alienum, quæ Antiſtes pro Religionis, aut incremento, aut ſplendore conſtituiſſet, rectè, an perperam conſtituta eſſent inquirere.

Ibidem, p. 158.

CAPUT XXXIII.

Adverſus Alphonſum Alvaredum Sacrorum Jurium violatorem, Eccleſiæ ac pauperum cauſam ſtrenuè defendit.

C. XXIII. p. 155.

I. CVM Alphonſo Alvaredo Caxatambi Provinciæ Prætore ut jura Eccleſiæ ſarta tectaque conſervaret, fortiter dimicavit. Ejus quippe Regionis ſacras res cum cognoſceret, intellexit ab homine illo avaro, e Sacris Templorum theſauris, omne æs in Divinum cultum, in Templorum inſtaurationem, in pauperum, & ægrotorum ſubſidia, atque in cæteros pios uſus, religioſâ liberalitate collatum, ab illo homine per vim ac nefas extractum, compilatum, ac ſpecie publicæ neceſſitatis, cupiditati

tati suæ impensum. Quid Turibius ad hæc? Sacrilegii scelere, flagitii immanitate, audaciâ hominis, Religionis injuriâ, sacrarum Aedium damno, pauperum oppressione, piarum voluntatum fraude, gravissimè commotus, adversus impium caput, sacris censuris agendum necessariò putavit. Monendum tamen prius, ut ad mentem rediret, ac magnitudinem sceleris pœnitentiâ, atque iis, quæ injustè sibi propria fecerat, restitutis, corrigeret. At homo amens, ut cupiditate cæcus, nullum jus, nullum sacrilegium antea respexerat, ita monita pii parentis nunc flocci facere ac deridere. Jussu Regii Præfecti se coactum dicebat, eam pecuniam, in rebus Regi, ac Regno maximè necessariis jam collocatam. Præstare Reipublicæ, quam paucorum commoditati prospicere. Sacra omnia, ac prophana Regum necessitatibus parere. Litteras quoque a Regio Præfecto facti culpam elevantes ipsius Regis Catholici voluntate, ac mandatis prętextis multas obtinuit. Sed nihil proficere his potuit, quin segrex ab Antistite ex fidelium coetu fieret, apud quem non Regum imperia, non Præfectorum minæ, non denique ulla mortalis potentiæ ratio valere unquam potuit, ubi fas lędi, æquitatem pessundari, Deum immortalem affici injuriâ, aut Ecclesiam videret.

Ibidem p.156.

II. Nihil interea devotum caput omisit, quod ad avertenda abs se ignominiam, ac viri infracti virtutem evertendam idoneum judicaret; præterquam unum illud expilati æris restituendi, aut contumacia abuendi consilium. Vbi verò omnia frustra ab se tentari comperit, nec pectus illud adamantium expugnari ullo modo posse animadvertit, Anathematis longâ magis ignominiâ, quàm sceleris gravitate coactus, hoc etiam tandem capere consilium statuit. Non accepit tamen Turibius, neque ejus nomen ex albo piorum erasum prius reposuit, quàm præter integram ablatæ pecuniæ restitutionem, criminis quoque mulctam exolverit.

Ibidem p. 157.

C A P V T XXXIV.

Romanorum Pontificum litteris, laudibus ac singularibus privilegiis exornatur.

I. Tantam Mogrobesii nostri erga creditas sibi oves sollicitudinem, tantam adversus hominum avidorum rapacitatem, fortitudinem animi, tantos per Provinciam exantlatos labores, communis humani generis hostis hominesque pravi

Lib.I. C. xxIII. p. 77.

pravi cum eo consentientes sæpe aut persequi calumniis, aut in deteriorem partem trahere malignè conabantur. Sed hæc omnia frustra: nam quò magis ii contendebant, ut Turibii laudes & merita obloquendo & insectando minuerent, Deus contra servi sui virtutem qualis erat patefacturus, ejusdem sanctitatem illustriorem magis ostendebat. Incredibile dictu est, quàm semper magnum, ac mirabile ad Romanorum Pontificum aures Turibianum nomen accesserit. Quàm bene de Christiana Republica mereri illum existimaverint! quàm copiosè gesta ejus laudarint! quàm liberaliter Romanæ Sedis privilegiis, ac prærogativis ornarint! Sex Summi Pontifices, eo Limano Antistite, Ecclesiæ præfuerunt, Gregorius XIII. Sixtus V. Urbanus VII. Gregorius XIV. Innocentius IX. Clemens VIII., quorum duos si excipias, Urbanum, atque Innocentium, quos brevissima Pontificatus periodus, spes vetuit inchoare longas, cæterorum mirum erga Turibium amorem, mira beneficia videbis. Ibidem p. 78.

II. A Gregorio XIII. dignitatem cum Pallio obtinuit. Sixtus Motu, ut dicunt, proprio, ut ad Apostolorum Limina per Procuratorem, ac decimo quoque anno veniret indulsit.

III. Alteri verò Gregorio, ut res a Turibio per Provinciam gestas jucundissimum ex Didaco Zuniga e Societate Jesu, Romam ex iis Orbis partibus procurationis causâ misso, audire fuit: adeo ut exclamare lacrymis præ gaudio, atque admiratione obortis coactus dicatur: *Benedictus Deus, qui ubique regnat, & ubique Servos suos regnare facit*: ita eidem Zunigæ litteras ad eum Apostolicas singulari benevolentiâ, atque humanitate scriptas dedit, quarum hæc erat sententia: Se maximâ Zunigæ testimonio lætitiâ affectum. Primùm, quòd læta de ipsius salute nunciasset: Deinde, quòd ejus erga se, erga Apostolicam Sedem obsequium, ac reverentiam celebrasset. Denique, quòd de ea, quâ Divinum cultum, quá Pastoralis muneris partes, quâ animarum ejus curæ creditarum salutem diligentiâ promovebat, certiorem fecisset. Gratias proinde Deo debitas, atque immortales agendas, universum terrarum Orbem temperanti, qui pro sua pietate ministros optimos deligat, qui strenuè in vineæ suæ cultura exerceantur, quique fructus afferant dignos in patientia. Pergratum præterea accepisse se nuncium, ajebat Pontifex, quo ipsius in Domo Dei zelus, quo labor, atque assiduitas in administratione Dioecesis, in Conciliorum Provincialium, ac Synodorum celebratione, in Provinciæ per se ipsum cognitione efferebatur. Quæ omnia Ibidem p. 79.

nia censeri abs se quidem laude dignissimâ, omni verò Christianæ Reipublicæ imitabilia, æternæ tandem gloriæ præmiis a Deo decoranda. Ad extremum maximopere se hilaratum, quòd quo tempore universæ Ecclesiæ ex cælesti largitate præesset, hujusmodi in animarum salute procuranda, cælestique semita demonstranda ministros sortitus esset. Cæterum auditurum ex Zuniga qualis esset suus in eum amor, quâ patriâ caritate complecteretur, quàm virtute ornatum, quàm valetudine integrum esse vellet. Majestatem verò Divinam se (Apostolicâ e Pontificio solio benedictione impertitâ) suppliciter oraturum, ut gratiæ viventi incrementa, defuncto gloriam cælestem concederet. Scripta fuit Epistola XVII. Calendas Junii Anno MDXCI. Pontificatus sui primo.

IV. Clementis post VIII. his non minus honorificas litteras accepisse dicitur, quibus potestatem ei fecit, ut Rosaria, (quæ Itali vocamus) seu Numismata Sacra quæ (Medagliæ, vel Cruces) ad quatuor millia, alii septem millia dicunt, manu suâ consecraret, Indulgentiarum beneficiis cumulatissimè eos ditatura, a quibus haberentur. Quòd ut pervulgatum est infinita ad eum undique multitudo concurrit, Rosaria sua ostentantes, & consecrationis beneficium, pro se omnes exorantes. Quòd a Sanctissimo Antistite accepisse geminati beneficii loco habebatur. E cujus videlicet virtute, ac sanctitate quædam pietas major iis afflari videretur.

V. Ad hæc, amplissimis privilegiis, & Diplomatibus a Romanis iisdem Pontificibus ornari Turibii sanctitas meruit. Quorum nonnulla Jacobus Moralius in suo testimonio refert, ac se legisse, cum a Secretis esset testatur. Pius enim, ait, Quintus (Notarii, aut Interpretis, in nomine mendum patet, Pio quippe Pontifice nondum Turibius Sacerdotio fungi cœperat, Sixtus, puto legendum) tribus Diplomatibus potestatem fecit ab Irregularitate dispensandi, Provinciales Conventus quinto quoque anno cogendi, Sacrum chrisma e balsamo ejus Regionis conficiendi. Gregorius XIII. Conventus Provinciales habendi potestatem ad septimum quenque annum, Synodos ad secundum prorogavit. Tum ab omnibus, & singulis delictis, & criminibus Apostolicæ Sedi reservatis, ac in Bulla, quæ in Cœna Domini dicitur, descriptis in utroque foro reos, nec non ab hæreseos crimine, quòd ad Indos, absolvendi. Præterea Episcopos, ubi Collegarum legitimus numerus adesse non posset cum duo-

duobus tantùm Viris dignitate præditis, inaugurandi, & consecrandi facultatem obtinuit, atque hujusmodi alia complura.

CAPUT XXXV.

Frequentibus ipse litteris de rebus a se in Provincia gestis Romanos Pontifices certiores facit, & qua cum modestia.

I. IPsius verò Turibii erga Romanos ipsos Pontifices, eorumque Constitutiones reverentiam, atque obsequium quis dicat? Has ante oculos rerum agendarum veluti exemplar, ac regulam, ita semper habebat propositas, ut ne latum quidem unguem ab illis recederet. Eosdem haud perinde quàm terrestria Numina, Deique Optimi Maximi personam agentes respiciens, de omnibus rebus suis crebris litteris consulere, eorumque oraculis tanquam Divinitatis ore editis acquiescere, semper consuevit. Libet hìc Epistolæ ipsius fragmentum ad Clementem Octavum Pontificem Maximum in medium proferre, ubi paucis verbis res a se in Provincia gestæ ita narrantur, ut addi posse nihil a nobis videatur. *Postquam*, inquit, *ex Hispania ad hujus Regum Urbis sacram Præfecturam primùm accessi anno* MDLXXXI. *præsens pluries invisi, & legitimè impeditus, per meos ministros ejus ditionem, illud omni curâ contendens, ut oviculas meas, & cognoscerem, & enutrirem. Multis erroribus, ac vitiis occurri, attulique remedium. Dominicis diebus, atque aliis festis conciones habui ad Indos, atque Hispanos propriis eorum linguis. Ingentem numerum, ut mihi visum est, ac multorum affirmatione acceptum, supra sexcenta hominum millia sacro Chrismate confirmavi. Iti nere quinque ferè millium, ac sexcentarum leucarum confecto multoties pedibus meis propter viarum perversitatem. Fluminibus verò maximo cum vitæ periculo tranatis. Aliis denique prope infinitis difficultatibus superatis. Aliquando defectu commeatus, hospitabilisque loci mihi ac sociis in commune laboratum. Cæterum ad eas Indorum Nationes Christianam Fidem colentium, ac bellum cum Infidelibus perpetuum gerentium penetravi, ad quas ante me Prælatus, aut Visitator accesserat nemo.*

Lib. I. ca. xxiv. pa. 80.

Ibidem p. 81.

II. Ex his fideliter redditis, quàm candidè sincerèque, quàm minimè jactanter, ac tumidè summos Christianæ Reipublicæ Mo-

Moderatores, suis de rebus communicare consuesset, vide. Ita enim laborum suorum magnitudinem exponit, ut potius diminuendo modestior, quàm augendo se jactans videatur. Nam de hominum a se confirmatorum numero supra decies centena millia, qui minimum dicunt, eos fuisse affirmant. Quòd verò de concionibus, ait, eas Indicè, Hispanicè pro ratione, Auditorum habuisse, quam paucis rem omnino mirandam potius tangit, quàm dicit! Indicè enim loqui, non ut videri potest, unius tantùm linguæ scientiam exigit, sed plurium. Quot Oppida, tot ferme ibi linguarum species, inter se se valde abhorrentes, atque ad discendum difficiles ejus Regni Scriptores esse tradunt, ut non ineptè, *Idiomatum multiplicem sylvam quis appellavit*. Ex his omnibus non obscurè liquere potest, ipsum cælesti planè ope adjutum, talia ac tam admiranda præstitisse.

LIBRI SECUNDI FINIS.





VITÆ S. TURIBII ALPHONSI MOGROBESII LIMENSIS ARCHIEPISCOPI

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Severioris Vitæ disciplina, & Corporis afflictationes.

I.  PRIMA ætate blandis cupiditatibus acre bellum constanti fortitudine indixit, nec toto, quo deinde tempore in vivis fuit, aut fœdus, aut inducias vel minimas cum iis pepigit. Domus clarissimæ commodis, parentum dulcissimorum complexibus, fratrum consuetudine perjucundâ, propinquorum, ac patriæ conspectu vix duodecim annos natus carere cœpit. Vallisoletum ad rem litterariam missus. Illic ut lilium inter spinas, ad sui candoris integritatem servandam asperitatibus usus est. Cum litterarum cognitione, non ut plerique solent, suimet ipsius ignorantiam, aut oblivionem conjunxit aliquando. Tempus enim ita distribuerat Deo, sibi, studiis, ut ejus ne minima quidem particula si fieri posset deperiret. Adolescentiæ omnem pestem procul habuit, otium, ludicra, voluptates; omnia verò ejusdem ornamenta conjunctissima Mode-

Herrera lib. III. Cap. XVI. p. 261.

destiam, Temperantiam, gravitatem. Nihil in oculis lascivum, nihil in verbis arrogans, nihil in gestu indecorum, nihil in gustu intemperans, nihil in consuetudine procax. Ita enim ad Divinæ Legis rationes actus suos omnes, motusque exigebat, ut eam corporis compositionem, vel amare, vel revereri omnes cogerentur.

Ibidem p.263. II. Jam tum abstinentiæ, ac jejunio studere, vestitu maximè communi, ac vulgari uti, afflictationibus corpusculum macerare, animum adversus cupiditates malas exercere, lucubrationibus somnum depellere, sibi ab omni juvenili levitate diligentissimè cavere, fortissimè imperare. Nemo illum per Urbem æqualium iu turba vagantem vidit. Nemo curiosè res, quas vulgus miratur spectantem, nemo juveniliter lascivientem conspicatus est. Nisi rei necessitas cogeret domo pedem nunquam efferre. Hinc quod de se, Divoque Coutubernali suo Basilio Athenis studia excolentibus Gregorius Nazianzenus affirmavit, in Mogrobesium quoque nostrum quadrare perbelle potuisset. Duas nimirum tantummodo vias ei notas fuisse, alteram, quæ ad sacras Aedes, alteram, quæ ad Præceptores ferret.

III. Salamanticæ honorarium munus assecutus, tantùm abfuit, ut aliquid de severioris vitæ institutione remitreret, ut potius cum ætatis, ac dignitatis accessione, addere ad superiorem severitatem nonnihil necessarium existimarit. Qua in re cum mediocritatem excedere videretur (extingui enim pallore vultus ab voluntariis flagellationibus, viriumque summa debilitatio, ab inedia, & vigiliis fieri apparebat) opus fuit moderatorem adhibere, a quo nimia illius in se ipsum severitas coërceretur.

IV. Litterariis feriis non, ut alii, Suburbani ruris delitias quærere, aut defatigato studiorum laboribus corpusculo requiem concedere; sed per illud otii, majori contentione ad virtutum acquisitionem se exerceret: illa corpori recreando dumtaxat non respuens, quæ essent cum labore, atque asperitate conjuncta. Quemadmodum cum Compostellanam peregrinationem, nudis pedibus, habituque, per eas ferias, uti supra libro primo exposuimus, confecit.

V. Nondum Sacerdotio initiatus, nec Pontificiâ dignitate decoratus, eâ vitæ ad omnem virtutem actæ laude præstabat, ut nihil ei deesse videretur quod summam ostendere potest sanctitatem. Ecclesiæ adscriptus majorem sibi necessitatem impositam, exemplis, quæ alii sequerentur prælucendi, cognovit. A Deo

De-

delectus ut Ecclesiam Limensem regeret: quæ quidem Provincia difficultatibus, laboribus, & periculis obsepta, alium quemlibet absterrere ab illa suscipienda potuisset, adeo nullo incommodo, nulloque discrimine deterritus ab illa capessenda fuit, ut Dei voluntatem sibi proponens patriam, parentes, amicos omniaque domestica commoda promptâ alacritare reliquerit, in id unum intentus, ut Deo ad arduos eum labores vocanti, obtemperaret.

VI. Ubi Sacerdotii sui Sedem obtinuit, eam sibi vivendi rationem præstituit, quæ & integra servari posset dum viveret, & inculpabilem illum domi, forisque præstare. Inter cætera verò exempla, illud non postremum, quòd imperare corpori suo quidquid collibuisset, videbatur, ab illo nunquam in transversum abreptus. Solidam noctem dormire ne a maxima quidem fatigatione cogi potuit. Ante exactam dimidiam ejus partem, nunquam cubuit. Aurora semper vigilem, Divinisque commentationibus vacantem invenit. Lecto pro dignitate composito ad speciem utebatur: revera super pavimentum in stragulo, ne vestibus quidem detractis dormiebat, rudi ligno, pro cervicali subjecto, quem cubandi morem, cùm domi, tum peregre iter faciens non mutavit. Etenim culcitræ quidem binæ, & quidquid ad cubile molliter concinnandum pertinet (quæ dignitas Sacerdotalis erat) ferè convehebatur, ac parabatur per servos ubi ad hospitium ventum esset, ipse tamen instrato barbarico torali, subjectâque capiti hippoperâ, ejus vice pavimento usus, lectum mane perturbabat, ut clam omnibus res ageretur. Ibidem p. 264.

VII. Parcitas ciborum maxima, cura nulla. Nunquam esurire se dixit, aut indicio vel minimo demonstravit, & si in multas a meridie horas prandium differretur. Nunquam exculentum quidpiam postulavit. Vocari oportebat ad curandum corpus, alioquin perseverasset semper in occupatione jejunus, suique oblitus. Neu ignobilis necessitas totum tempus occuparet recitari semper aliquid inter edendum ex Sanctorum Virorum gestis, Concilio Tridentino, aut alio pio Commentario volebat. Ejus cœna etiam cum non jejunaret frusto panis, atque aquæ poculo peragebatur. Severissima jejuniorum, quadragesimalium præsertim, lex erat. Majoris Hebdomadæ totam periodum præter cæteras afflictationes pane tantùm, ac aquâ absolvebat. Dominicæ Passionis anniversario his quoque abstinere solitus, etiamsi eo die iter, aut opus Provinciale perageret. Hujus

jus rei Testis minimè spernendus Joannes Alphonsus Cadallus; qui aliquando eo die ad Oppidum Carvatium unà iter faciens, cum Occidente jam sole Præsulem de refectione admonuisset, ille ne, quod in more habebat, cogeretur fateri, ex hippopera quidem sua panem protulit, quasi cum cæteris corpus curaturus; verùm cum ibi, seu casu, seu consilio, manu excidisset, hinc ansam continuandi jejunii nactus: *Bene est*; ait, *panis manu decidit, quid hoc? nisi quòd divinitus monemur, non esse hodie curando corpori omnino indulgendum?* Itaque ne buccellam quidem degustare voluit. Ex inedia voluntariisque macerationibus, sub
Ibidem p.265. Hebdomadæ ejusdem finem, ab ingenti ægritudine recens videbatur; adeo decolor vultus, adeo exangui pallore squalens corpus. Cæteris festorum dierum pervigiliis, nec non ternis hebdomadæ cujusque diebus, sabbatis nimirum cum feriis quartis, ac sextis semel vescebatur, & paulo quidem maximè parabili, ac rudi, olere cepâ elixâ, frixâ cucurbitâ, pomis subacerbis. Pisces non adhibebat, nisi ex iis, quos Peruvienses Maquetas appellant; genus omnium insuavissimum, ac deterrimum, quo ne mediastini quidem vesci solent propter multum spinarum, & parum pulpæ. His quoque rarius, & elixos, nam si conditos suspicaretur, aut aliquid palato blandiri posse videret appositos recusabat. Ova, lacticinia, aliaque omnia non lautè parata
Ibidém p.266. obsonia iis diebus, etsi usu receptum esset, nunquam degustavit. Ptisanarium orizæ lacte ovillo conditum aliquando apposuerant domestici, existimantes eum facile decipi posse amigdalini succi specie, at ille fraudem ex gustu statim compertam, aliâ arte eludere cogitavit, &: *Quid hoc*, ait, *insulsi est?* Mox salinum, specie aliquid de eo inspergendi accipiens, manu labi, totumque in pultem effundi salem, ex industria permisit. Tum quasi indiligentiæ suæ subiratus: *Heu me!* inquit, *nimiâ salis aspersione quàm optimas dapes corrupi! At mirandum non est, si cum coquus non sim, æquitatem in condiendo servare nescíverim*. His, cum sale dictis, apposita auferri jussit. Eodem vel simili artificio quoties gulæ adlubentia apponerentur uti solebat. Cinerem enim in mantica apud se clam gerebat, quem cibariis nullo observante permisceret, inde vel seponendi ansam arrepturus, vel saporis suavitatem corrupturus. Epulas si quis commendasset, eas commendantis esse jubebat, ut ne attingere quidem eas ipse cogeretur. Exemptis jejunio diebus ejus mensa vix bubulam, aut vervecinam recipiebat. Volatilia omnino excludebantur. In jeju-

jejunio, ne si adversâ quidem valetudine laboraret, aut alia quævis, vel præsentissima necessitas urgeret, adduci unquam potuit, ut cibos mutaret, aut horam. Quamobrem cum Divinis aliquando rebus operam daret vernalis jejunii tempore, repente virium defectu correptus, atque ad terram prolapsus, ut animam deinde collegit, nullis domesticorum precibus flecti potuit, ut quidquam vetitum jejunantibus degustaret, aut horam constitutam mutaret. Triduo tamen, antequam migraret ad superos jussu Medicorum adactus, carnes in solemni jejunio comedit; ratus, non obedientiam placituram Deo minus, quàm abstinentiam. Ad convivia, etsi mediocri apparatu, atque honesta, accedere tamen abstinuit, ne forte vesci epulis cogeretur: nec a Præfectis, aliisve summæ nobilitatis Viris, vel etiam Religiosis invitatus aliquando annuisse dicitur; ut ne semel quidem alienæ eum mensæ accubuisse memoriæ proditum sit. Apud hospites cibum capere itinerum aliquando necessitate coactus, eos maximopere ante rogabat, ut secum familiariter ageretur, nullusque epularum apparatus fieret. Quæ res Antonii Varretii testimonio ita confirmatur: *Umai*, inquit, *Pago, ubi primùm ad Provinciale munus egressus est, paternæ domus hospitio Antistes excipitur. Ibi parentem meum obtestari, ne quid præter bubulam, atque allia singulare sibi, aut quæsitum apponeret. Cui tamen annuendum pro sua, Virique dignitate Pater non putavit*. Hæc testis oculatus ille. Poma si offerrentur, pulcra præsertim, ac suavia paululum cum Creatoris laude miratus, atque odoratus, pauperibus ne libata quidem impertiebatur. Allia, cepe, olera, maximè illi familiaria. His tantùm delectari videbatur. Parochis imperaverat, ne quo tempore, apud eos versaretur sumptus supervacaneos in epularum apparatum facerent, mensam verò maximè parabilem, frugalemque, neque a quotidiana, privataque consuetudine valde remotam, sibi suisque apponerent. Qua in re si peccatum esset, dapibus relictis, acri reos reprehensione perstringebat. In potu æquè parcus, ac temperans. Supra tres cyathos, eosdemque minimæ capacitatis, exhaurire in mensa nunquam visus. Qui defuncti intestina videre, chirurgiæ, ac medicinæ peritissimi Viri, ea ad miraculum arentia, ac exucca fuisse retulerunt. Addidit pro testimonio Joannes Vegas nobilis Chirurgus, cujus operâ exenteratio peracta est: se ne indicium quidem præteriti cibi in eis, argumentum abstinentiæ planè mirabilis, cognoscere potuisse. Ea denique tum cibi, tum somni parcitas erat, ut ejus vita censeretur miraculum.

Ibidem p. 208.

O Quid

VIII. Quid de frigoris tolerantia subjungam? Peruanæ hiemes, incredibili asperitate rigentes, atque acutæ dicuntur. Has Præsul TURIBIUS cælesti flammâ succensus ita contempsit, ut per eas medias, insuperabiles alpes adire non dubitarit, divinos calores gentibus æterno gelu circumseptis allaturus. Nec verò cum diu, noctuque per altas nives inter ventorum colluctantium flabra iter confecerat, ipsâque hieme rigidior ad hospitium venerat, igni, aut fomentis, aut penitiori cubiculo, frigus abs se depellere; sed cognitiones statim instituere: quæ opus facto essent jubere: sui muneris partibus accurate defungi infaticabili perseverantiâ, atque alacritate curabat.

Ibidem p.269. IX. Otium ita fugit, ut gravissimum piaculum existimaret, vel momentum temporis non curare, vel utiliter collocare, dicere solitus: *Tempus nostrum non esse, sed Dei, ejusque exactissimam rationem nobis reddendam*.

X. Vitæ ejus cursus perpetua occupatio fuit: ne sedere unquam visus, nisi aut capiendus cibus esset, aut ad se adeuntibus officium præstandum. Ex qua standi, aut agendi ratione, quàm gravi corpus incommodo affici opus fuit!

XI. Nullam sui, aut vitæ suæ rationem habuit, ubi eam impendere pro suorum salute curanda res postulasset. Boni enim Pastoris esse ex Divinæ veritatis oraculo non ignorabat, Animam suam dare pro ovibus suis. Quamobrem incredibiles labores diu, noctuque, itinerum, tempestatum, discriminum, famis, sitis, somni, aëris, adire nunquam dubitavit, in obeunda Dioecesi, in Divini verbi prædicatione, in altarium, ac sacrorum utensilium consecratione, in divinorum mysteriorum, Confirmationis præcipuè administratione, in Religionis propugnatione, ac propagatione, ut operis sui partes adamussim expleret.

XII. Ad extremum Vir planè Apostolicus castigandi corpus suum, atque in servitutem redigendi nullum finem faciebat. Nec solùm assiduis laboribus, jejuniis, vigiliis illud macerare, sed & cilicio hamulis ferrei fili instructo, ferreâque catenâ ad nudum, nec non asperioribus e ferro flagellis excarnificare consuevit. Quæ poenarum instrumenta, ut domesticos omnino laterent, eorum operam vestes induens, aut exuens excluserat. Flagellorum usus illi frequentissimus. Iis enim præter sabbata, & ferias jejunio addictas, festis quoque diebus insignioribus, eorumque pervigiliis se divexabat. Quâ verò acerbitate, se dilaceraret, locus multo sanguine respersus ostendebat. Domi Orato-

torium : peregre , ubi clam cunctis id fieri non posset , agrorum solitudines petebat . Hujus rei testes , & plures , & fide dignissimi afferuntur , e quorum testimoniis nonnulla hîc exempla ad ea , quæ superiori commentario memoravimus adjungere , neque ingratum fore , neque sine operæ pretio existimo .

XIII. Bartholomæus Menacbus Vir a doctrinę ornamentis, morumque probitate maximè insignis , in comitatu erat , cum Xauxam Præsul , Regionem omnium maximè glacialem peragraret . Is quadam nocte , tertiâ vigiliâ jam cœptâ , cum Præsul ex diversorio vicinum montem petere visus fuisset , nec post longam inde moram reverti , metuens ne quid illi adversi fortè contigisset , eòdem auxilii , si opus esset , causâ contendit , at propius postquam accessit , audisse se verberum atrocissimorum sonitum , sine modo , ac fine se se ferientis affirmavit . Ibidem p.270.

XIV. Nonnullos ex Indorum genere a Fidei castris profugos quæritans Præsul , ad Oppidum quoddam venit , ubi Joannes a Carcere facti testis , Gubernatoris vice fungebatur : a quo domi humanissimè excipitur . Jam ad cœnam hospitem vocaturus, ad conclave simul accessit , audiit verberum frequentes, validosque ictus . Stupet , observat , introspicit per rimulam, videtque Virum genibus flexis , tergo nudato, in Christi Domini Crucifixi Imaginem , quam lævâ tenebat , oculis , & cogitatione defixum , dexterâ verò stricto se flagello dilaniantem . Exaudiebatur & vox gratias immortales Deo referentis , quòd eò se venire voluisset , ubi animarum tam grandi jacturæ consulere posset . Quibus hospes non sine ingenti admiratione perspectis, dum interpellare præ reverentia non audet , diu expectare ejus lanienæ finem cogitur . Porro post duarum horarum spatium lætus , atque alacris e cubiculo ad cœnam venit . Quam verò cœnam ? De referta optimis dapibus mensa,nihil planè gustare voluit præter paucos , e genere cancrorum pisciculos , & Indicum pro pane frumentum . Atqui ubi , & in iis edendi voluptatem adrepere nonnullam cognovit , binis , ternisve absumptis : *Ita ne* , inquit , *Corpus tibi indulges ? Adeo ne sapiunt ?* Quibus dictis multo sale respersit cæteros , ut gulæ saperent minus .

XV. Truxilli plana invisentem , Vir ex Indorum genere ab ætate , pietate , fide , non contemnendus testis , haud semel vidisse se retulit ante quartam noctis vigiliam , montis secessus , tigribus , ac leonibus infestos petentem : ibique ferreis flagris , validè , atque immisericorditer sibimet verbera infligentem , ut

fragor ad ducentos prope passus exaudiri posset. Guttas etiam sanguinis integras, recentesque mane abs se iisdem locis repertas, pluresque menses, immò annos arbustorum foliis, quibus inspersa erant, ita inhæsisse adjecit: aliique plures confirmarunt.

XVI. Cæterum quas sibi plagas hujusmodi flagellationibus inflixerit, hinc intelligi posse non obscurè videtur, quòd Chirurgorum illi operâ sæpe opus fuit, ad eas curandas. In his Joannes Perez palam affirmabat, se dum ulcera in tergo ipsius curaret, cùm graviter ob earum acerbitatem animo commoveri, tum patientiam in remediis minimè blandis fortiter perferendis admirari valde consuevisse. Cum illud unum interea eum obtestari non desineret, ne cum aliquo mortali, de ea re verbum facere vellet, præsertim sua cum sorore. Nam, quod ad se attinebat, ita dolorem consuetudine vicerat, ita superiori inferiorem portionem parere cogerat, ut ne minimum quidem assidui cruciatus indicium præseferre unquam ullo modo visus fuerit: nullas in fronte rugas: nullam contracti vultus acrimoniam: immo perpetuâ serenitate explicatam faciem, semperque lætissimâ suavitate renidentem ostendebat, ut nullâ molestiâ, maximâ verò voluptate, & gaudio semper affici videretur.

Ibidem p. 171.
XVII. Enim verò non tam quidem, ut proprii corporis contumaciam, quæ nulla erat, ad rationis imperia perfringeret, quàm ut alienæ mederetur, suppliciisque suis flagitia non sua dilueret, nonunquam in se ipsum desæviit. Unicum e multis exemplum, huic toti rei, & fidem faxit, & finem.

XVIII. Loci cujusdam Sacerdos, creditarum sibi ovium lupus magis quàm Custos; iis cum vitæ exemplis sacro Ministro minimè dignis, tum injustis vexationibus perniciosus evaserat. Avaritię quippe vetitisque negotiationibus studere ferebatur, increpationibus aspide surdior. Hunc aliquando accersitum Præsul secretò castigavit, quòd quęstui indigno operam daret: quòd invidiam in se suorum conciret: cunctis pessimo exemplo noceret. Monuitque pluribus, ut Sacerdote non indignam vitam exin institueret. Exemplis bonis, superiores sordes extergeret. Enim verò ad meliorem frugem his omnibus reduci non poterat. Quo Præsul cognito, in penetrale secum conclave quodam die hominē sevocat, foresclaudit, humeros suos veste nudat. Tum ante Imaginem Christi Domini de Cruce pendenti provolutus, flagellorum ferream tempestatem concire, tergo insonare, perditæ mentis homini flagitiorum cognitionem, ac pœnitentiam piis

piis simul precibus a Deo flagitare. Inter hæc Sacerdos spectaculi acerbitate commotus ut desisteret enixius rogabat. Contra ille ingeminare ictus, seque quandoquidem suspicari ajebat, ne sua peccata ejus tantæ contumaciæ essent in causa, nunquam sibi parsurum, nisi duritiam cordis illius veniâ eorumdem peccatorum exoratâ expugnasset, affirmare. Ne multa: Expugnavit, emendavit. Scelus enim suum ibi confessus reus sacerdos, alium se ab eo, qui fuerat, deinceps futurum, non promisit solùm, sed quæ promiserat fideliter præstitit.

CAPUT II.

Modestia et Humilitas.

I. AB humilitate ac modestia severissimas in corpus suum leges TURIBIUM didicisse quis dubitet? Etenim cum nihil grande sibi adrogaret, nihil honorificum existimaret, imo e contrario se inutilem servum omnium mortalium, virtute postremum, improbitate maximum, hinc erat, ut non Deo solùm, sed omni etiam humanę creaturę propter Deum se ultro subijcere gauderet: cunctas in universum hominum genus Cælestis irę animadversiones suis malis imputaret, omnium se flagitiorum reum crederet, pœnas tantâ severitate exigeret, sensus tantâ custodiâ cohiberet. lib. 3. cap. xix. pag. 280.

II. Res fuit planè mirabilis intueri TURIBIUM adhuc impuberem, humanisque disciplinis operam navantem, quàm modestè tamen se gereret in æqualium cousuetutudine: quàm verbis parcum, quàm moribus gravem, quàm gestu compositum, quàm facie verecundum, quàm vestitu frugi, quàm solitudinis amantem.

III. Eodem tempore, atque ætate talem in eo gravitatem vidisses, qualem vix in iis, qui severissimæ disciplinæ cursum confecere, reperias. Optimo cuique ejus aspectus mirum in modum erat jucundus, ac suavis; improbis ita reverendus, ut eo præsente aut loqui, aut age re quidpiam intemperanter, aut inverecundè, nedum turpiter auderet nemo. Nihil tamen affectati, nihil violenti, aut acerbi ea in facie, quam perpetuus ingenuæ hilaritatis tenor ornabat. Nec abhorrebat ab æqualium quidem prorsus consuetudine, sed honestissimi deligebat, inquinatos, aut intemperantes vitabat, ne quid sibi mali moris afflaretur.

IV. Adolevit cum ætate modestia, quæ ętate ipsâ semper ma- Ibidem p. 281.

major videbatur. Eadem perpetuo de se opinio, eadem verecundia, eadem demisſio, eadem cautio. Vtque omnium mortalium(quę viri erat modeſtia) poſtremo ſe loco numerabat, ita honeſtiſſima quęque munera, ne cogitatione quidem ad ſe pertinere ęſtimabat, aut affectabat attingere. Atqui quò attentius honores fugiebat, ii fugientem ſequebantur.

V. Laureatos honores (in qua gloriolæ aura, ingenia, vel modeſtiſſima ſibi adeo placent, tantopere concupiſcunt, tantâ ambitione exquirunt) & ultro delatos ægrè juribus accepit. Ad Magiſtratum Fidei primùm Hiſpali, deinde in Bæticis nullum ſibi aditum, aut iter prǽmuniit, nullius operâ, aut gratiâ fretus, virtutis tantùm commendatione pervenit.

VI. Limenſis Eccleſiæ ſummum ſacerdotium omnia alia cogitanti a Philippo Secundo Hiſpaniarum Rege defertur, quam quidem dignitatem, ut is, qui ſe minime idoneum ad eam judicabat, diu recuſatam, nunquam accepiſſet, ſi oneris multò plus, quàm honoris conjunctum habere eam non cognoviſſet.

VII. Prærogativam Primatis Granatenſis Joannis Mendes, ut eodem die quatuor gradibus ad Clericalem Ordinem aſcendere poſſet, quia honoris gratiâ offerebatur, non modeſtè ſolùm, ſed fortiter recuſavit, haud tanti ſe ęſtimans, cui a communi legitimoque more abire liceret.

VIII. Sacerdotium jam adeptus, antequam in Provinciam proficiſceretur amicos ſalutandos putavit per Hiſpaniæ Oppida. Quo in itinere honoris vitandi causâ, privati hominis ſpeciem gerens, de dignitate, quam obtinebat, verbum fieri a ſervis vetuit. Vbi verò non obſcuram ſui nominis famam, habendumque ſibi honorem ſuſpicaretur, eorum locorum diverſoria adire prætermiſit, agreſti potius loco, in umbra alicujus arboris cibum capiens, & requiem fuſus humi corpus, ſtructoque e veſte ſedili.

IX. Generis nobilitatem, munerum amplitudinem, ſacerdotii dignitatem, Romanorum Pontificum privilegia, ſummorum Principum gratiam, cæteraque hujusmodi plura non jactantiæ, ſed tacitiſſimæ humilitati famulari cogebat. Ex his prætium, aut exiſtimationem ſupra cęteros comparare, aut propterea ſupercilium attollere, aliosue deſpicere a Turibianis moribus alieniſſimum fuit.

Ibidem p. 282. X. Rerum a ſe optimè geſtarum gloriam adeo non affectavit, ut etiam vel omnem eorum memoriam premeret, vel aliis

his imputaret. Id in Limensis Academiæ,ac Sacrorum Gynecæorum ædificatione vel maximè perspicuum fuit. Nullum enim de se monumentum in illa poni; horum Saldagnæ nomini totam laudem(etsi maxima pars eorumdem operum pecuniâ suâ, ac studio excrevisset) ascribi voluit. Insigne Gentilitium,quod multis amicorum precibus victus in Academia Turibianæ tandem facie collocari permiserat, pari patientiâ, ac modestiâ a Præfecto urbis per summam injuriam, ac vim deturbari, deterique tulit: reponi, cum jam, vel Præfecto invito possent, non tulit. Neque Controversiâ sibi a Senatu Regio adjudicata intumuit propterea, aut Adversario suo invidiam comparare, victoriæve jactantiâ pudorem infundere cogitavit. Quin potius summo silentio rem tegere, nullam illatæ sibi contumeliæ memoriam servare, nullam commemorationem facere auditus; modestissimè usus eâ potestate, quæ doloris in Adversarium suum speciem haberet, ne insultare victo videretur.

X I. Quoties in urbem e Provincia revertebatur,ut quàm maximè fieri occultè posset ingrederetur, neve reditus sui famâ excitata Civitas in occursum gratulabunda contenderet, ingressum semper differebat in noctem.

X I I. Summus Peruviensis Regionis Sacerdos quæ minorum Sacerdotum sunt munera per se exercere, ubi opus esset non dedignatus est, ea præcipuè, quæ cum humilitate, caritateque in proximos conjuncta essent; veluti; Christianæ Fidei elementa pueros docere: ægrotos invisere, proximè morituris adesse, ærumnosos ope, verbisque levare; ad eorum domos sordibus licèt oppletas accedere, atque hujusmodi sexcenta, de quibus nonnulla superius tradita sunt, humilitatatis munia exercere.

X I I I. Eâ verò erat animi demissione, ut omnium doctissimus, nihil tamen sine consilio, ad se præsertim spectans, agere auderet. Hinc jussu Medicorum, uti carnibus jejunii tempore, in suprema necessitate adactus, non prius assentiri voluit, quàm consilium, & facultatem Parochorum Sequensis, ac Sagnensis Francisci Guisandi, & Ioannis Herreræ obtinuisset. Adeo judicio suo nihil tribuendum, nihil doctrinæ, nihil in re sua auctoritati, ac prudentiæ putabat. Ibidem p.283.

X I V. Sententiam suam in Conciliis,Doctorumque conventibus ita enunciabat, ut cæterorum, nec sperneret, nec multâ contentione dilueret suæ contrarias, falli se posse in opinionibus omnium maximè existimans, cunctosque sibi sapientiâ, ac doctrinâ longè antecellere,

VX.Ne-

XV. Neminem unquam despicere, aut parvi præterquam se ipsum pendere visus est, itaque agebat cum omnibus servis, an liberis, Indis, an Hispanis, divitibus, an pauperibus, ut nihil in vultu supercilii, nihil in sermone imperitantis, iracundi, aut minacis, observari potuerit. Eâque verborum modestiâ, eâ parcitate, librâque utebatur, quæ ne in verbum quidem otiosum unquam minusve consideratum penderet.

XVI. Per Provinciam iter faciens a privato sacerdote in nulla pene re differre videbatur. Nihil in eo singulare, nihil magnificum. Quotidiano se victu indignum putabat, nisi multo prius labore meruisset. Quamobrem alicujus loci cognitione peractâ, continuo aliò ne se transferret, non preces, non temporum vicissitudines, non noctis vicinitas retinere poterant. Nimirum ne ibi panem, uti ajebat, otiosè alienum comederet, onerive hospitibus esset inutili morâ, inutile pondus. Hinc præter necessariam familiam, convivam aut invitare, aut admittere audebat neminem, nisi ab iisdem, quorum hospitiis jure utebatur Parochis, facultate prius impetratâ. Neque enim tantùm sibi tribuebat in aliena domo, cui invitare quenquam suâ auctoritate liceret ne incommodo hospitibus esset, assiduâ sollecitudinis Modestia ipsius torquebatur. Proinde cum suburbana inviseret, omnem e domestico suo penu commeatum aduehi, ut eâ curâ Parochi levarentur, jubebat. Ad longinquas Regiones proficiscens, cum id fieri omnino non posset, minuendæ tamen hospitibus molestiæ, atque impensæ omnem rationem habebat, non solitas sui causâ fieri prohibens, eosque severioribus verbis castigans, qui non mensam, sed lavatas epulas apponerent.

Ibidem p. 284. XVII. Humanis laudibus adeo non capiebatur, ut etiam qui dignitatis ipsius amplitudinem in familiari sermone commendassent, eos tacere juberet: illud dicere solitus: *Quid quid sumus apud Deum, ac pro Deo sumus; cætera nihil.*

XVIII. Amplitudo Provinciæ, quæ multorum, plerumque animos tollit majoris Turibio demissionis incitamentum fuit. Neque enim se tanti æstimabat, qui tanto gregi, ut par erat, regendo sufficeret. Hinc dicere nonnunquam auditus: Se libentissimè tunc mortem obiturum, cum Limensi Ecclesiæ, dignum eo munere Antistitem contigisse cognosceret. Hinc ille ad Regem, ejusque venatores cum litteris preces, quibus Provinciæ tam amplæ, tam laboriosæ contrahi sibi fines petebat. Quas quidem non laboris metus, sed de imbecillitate sua opinio ex humi-

latis

latis radice expressisse credenda est. Neque enim ut plerisq.mos est, ampliare nominis, aut rationum suarum numeros Provinciæ amplitudine curabat,qui se opesque omnes mortales ita nullo habebat in pretio,ut nec pecunias unquam attingeret,nec earum nomina, aut pretium nosset, nec retinere apud se posset: negotio Procuratoribus dato, ut in pauperes, piosque usus illas collocarent. Sui verò nominis immortalitatem, non apud mortales quæreret,sed in Cœlis.

XIX. Vulgatam olim falsò famam de sui inter Purpuratos Patres delectu, ita non curavit, ut etiam affirmaret se se quando argui fama mendacii non posset, eâ dignitate certissimè abdicaturum, cui Peruensis Primatis nomen satis superque oneri foret. Ex quo videre est quàm alienam ab omni honorum cupiditate gereret mentem, qui animo suo, secundum Romanæ Sedis fastigium oblatum recusare statuerat. Ac proinde jure optimo ab aliis genuinum sanctæ humilitatis exemplum, ipsissimam ab aliis. Humilitatem fuisse appellatum.

XX. Ex quo humilitatis fonte multa eaque amplissima in Turibii animum confluxerunt. Ornatus corporis maximè vulgaris: exterioris atque interioris hominis mira compositio: virtutum summa occultatio. Etenim quod ad vestitum ipsius attinet, nihil vanum, nihil pretiosum, nihil a vulgari abhorrens vidisses, qui tegeret corpus, personam quam gerebat tantùm non dedeceret. Elegantiam in vestitu ne privatus quidem affectavit. Delitias adeo procul habuit, ut carbasinas a sorore ex Batavico filo tenuissimas aliquando sibi ad suos usus datas egeno statim donum dederit, subuculas suas crassiori filo contextas esse oportere affirmans. Quę propria sunt dignitatis dignitatem decere, cætera quæ sui corporis indumenta, paupertatem, atque honestatem, satis putabat. In his holoserica nulla, e lana omnia,eâque viliori. Dignius Christiano Sacerdote ratus Sacerdotii sui pecuniis pauperes alere, ac fovere, quàm pretiosa in veste circumspici.

XXI. Sed audiendus Testis, isque fidelissimus Joannes Sapeda: Ejus, *inquit*, vestitus hic erat: E lana nigro colore infecta tibialia, femoralia verò e panno, thoracis linea textura. His Sacerdotalis toga accedebat de lanea, nigraque materia, candidâ Sinthesi superinductâ. Cęterum sacra publicè facturus, femoralia, thoracem, crurumque tegmina e simpliciori serico,pulloque assumebat. Hęc ille. Ibidem p.285.

P XXII.Mi-

XXII. Mira in illo exterioris, atque interioris hominis compositio. Mira, inquam, in homine tam variè occupato, cui nunquam quæ animum perturbare possent defuerunt. Ex omnibus, quæ maximè humanas mentes invadunt, agitantque, cupiditatas est rationi malè obtemperans. Ubi hæc in alicujus animum irrepsit tyrannico dominatu imperat, nisi strenuâ constantique virtute coërceatur. Hæc a cupiditate non domita imminere oscitantibus pericula TURIBIUS non ignorans, in eo quàm attentissimè nunquam non totus fuit, ut affectus omnes parere sibi cogeret, & famulari virtuti. Quanquam identidem illi non deerant quæ alium quenque facilè ad iracundiam movissent, illius tamen animum cum tranquilla fortitudine semper conjunctum irrito conatu aggrediebantur. Id non semel patuit cum vel Præfectorum superbiâ, vel æmulorum audaciâ vel, malevolorum insectationibus & calumniis appetitus, nec unquam animi quiete deturbatus, non obscurè ostendit, affectus omnes nullam habere vim quâ a suo obeundo officio, & virtute excolenda dimoveretur.

XXIII. In subitis casibus impertubabilem mentis statum servabat. Accidit aliquando, ut jumentum Sacerdotale instrumentum vehens, in quo & pallium, Romani Pontificis insigne munus, dum flumen trajicitur, aquarum vi raptum, omnium secum jacturam faceret. Multa ibi succensendi, multa servorum negligentiam arguendi occasio: quòd temerè transitum tentassent: quòd Pallium saltem dignitatis præcipuum insigne, quo amisso, ea contrahi non parum videbatur, non diligentius servassent: quòd rapiditatem fluminis non vidissent: bestiæ insuper quâ & ipse vehi solebat exitium; cęterarum rerum non levis jactura. Audito tamen TURIBIUS quod acciderat, tam commotus est, quàm si sine sensu fuisset. Non negligentiam servorum accusavit, non bestię, ac rerum suarum amissionem questus: non denique Pallii jacturam, amissasve cum eo pręrogativas indoluit. Divino enim consilio, ac voluntate omnia agi, versarique haud nescius, gratias potius Deo immortales agendas censuit, quòd nullus hominum cum bestia periisset, quám pro jumenti, aut paucarum rerum interitu valde laborandum.

Ibidem p. 287.

XXIV. Hinc illa corporis in TURIBIO compositio ad animi similitudinem omnino comparata, quâ ita ejus omnes motus in ordine continebantur, ut nulli liceret esse incomposito, nulli extra modestiæ limites vagari, nulli rerum quæ curiositatem oble-

ctare

ſtare poſſent, vel minimùm commoveri. Audiendus de hac re Teſtis Joannes a Rocca Limenſis Eccleſiæ Archidiaconus: Vidi „ego met, *inquit*, ſæpiſſime Antiſtitem Mogrobeſium Divinā mo„do rem ritu ſolemni peragentem, modo Divinis privatim offi„ciis hac in Eccleſia aſſiſtentē, eâ gravitatè, majeſtate, modeſtiâ, „quæ maxima dici poſſit. Divi nimirum Petri ſimilitudinem re„ferre dixiſſes. Voxque erat una omnium palam affirmantium „poſt eumdem Divinum Apoſtolum, Antiſtitem, qui æquè ac „ipſe Turibius dignitatem geſſiſſet, nedum ſuperaſſet fuiſſe neminem. Hæc Teſtis. Quę reverentia ipſius, quæ pietas in Templo verſantis? Ea certè quæ omnium mentes ad pietatem eamdem excitaret. Ipſius vel ſolus aſpectus, ad pietatem atque modeſtiam quosque ipſum intuentes permovebat. Totus mente atque corde in Deum abreptus, non inter homines, ſed inter cœlites verſari videbatur.

XXV. Miniſtrorum negligentia in officiis ac rebus Divinis, unde plerunque alii ſuccenſent, alii derident, alii muſſant, exſibilant, nunquam a gravitate illa nutum indignationis aut verbum doloris extorſit. Clam tamen ſumma cum modeſtia, pro ſuo munere, miniſtros ipſos corripiebat. Ibidem p.288.

XXVI. Totum ejus corpus videbatur ab ipſa modeſtia confictum. Nihil in ſenſibus, nihil in motibus inconditum. Viſus ab ineptiis, nugisque popularibus perpetuùm averſus. Spectacula quæ in foro urbis agebantur, & ſi e feneſtris domus ſuæ ipſi foro imminentibus, optimus proſpectus eſſet, ne ſubitario quidem aſpectu unquam dignatus eſt. Ea dum darentur maximo vulgi plauſu, in ſecretum conclave ipſe abditus divinis precibus, aut utili commentario vacabat. Quo tempore domeſticis ſpectandi facultate negatâ feneſtras ipſas in execrationem immaniſſimorum ludorum clauſas eſſe jubebat; ne primariis quidem viris dato proſpectu. Denique nihil eorum, quæ vulgus videndi ſtudio adeo flagrat, Turibii ut mentem capere potuit, ita nec oculos ad illa convertere, qui ſeu ſtaret, ſive iter faceret, oculos ſemper ad humum modeſtè dejectos, nunquam vagantes habebat.

XXVII. In auditu quoque ſumma modeſtia. Procul iis auribus otioſa verba nedum laſciva. Aliena delicta ingerentibus, niſi æquum, & fas vellent apertas, perpetuò clauſę: obloquentium ſuſurris nunquam conceſſę: rerum peregrinarum, ac novarum minimè cupidæ. Ne aliquando convivarum inutili ſermocinatione opplerentur, pii alicujus libelli lectione cavebatur.

P 2 Gar-

Garrulos, atque alienæ famæ parcere nescios, tanquam aspides horruere. In horum sermonibus si quæ offenderet Turibius reprehensione digna, vel fugâ eludebat, vel sermones aliò trahebat, vel psalmi: *Laudate Dominum omnes gentes*, interpellatione tacitè improbabat.

XXVIII. De gustu nil in præsentia repetendum, cum jam satis quæ ad hanc rem faciunt supra memorata sint. Quid de sermonis temperantia? Nemo a Turibio se verbo læsum, aut contumeliâ affectum queri potuit. Necessitas vocem elicere sola poterat, multâ prius limâ ab omni superfluitate expolitam, sæpius ad lancem revocatam. Nugas in ore Sacerdotis blasphemias censeri non nescius: ab aliena fama non linguâ minus, quàm aure temperandum. Sordida verba æquè procul habuit, ac vitam turpi labe foedatam. Delicta ut arguerè non omittebat, ita omni id patientiâ, doctrinâque præstabat. Increpationis amaritudinem, suavi sermonis efficaciâ ita temperare solitus, ut ægri sanarentur, non exasperarentur. Solitudinem magnopere amabat, ubi cum Deo loqueretur, Doctorumque præcepta ex eorum lectis commentariis audiret. Viri sanctitatem, ac perfectionē hinc ad summum disce: Nunquam in verbo peccasse coargui potuit.

Ibidem p.289. XXIX. Ad hæc ne qua pars corporis Modestiæ honestissimos ornatus exueret per quam diligentissimè cavit. Præter os, ac manus, cætera detexit nemini. Tangere, ac tangi præterquam a pueris, quibus exosculandas manus præbebat, eorumque capitibus illas imponens, bene precabatur, æquè exhorruit. Servos idcirco a vestibus nunquam adhibuit, neque alicujus in induendo, exuendove corpore operâ usus. Libet hanc rem lepidissimi exempli narratinculâ confirmare.

XXX. In Suburbanis Truxilli agens Turibius, pustulæ in manu erumpentis ita dolore excruciari cępit, ut plures dies etiam febri laboraret. Nec dum planè convaluerat, aut manus adhuc ægræ involucra abjecerat, cum insigni honestate, ac nobilitate laudatissimam fœminam ibi commorari intellexit. Ad eam invisendam more illi novo, quippe qui omnem fœminarum consuetudinem ęquè refugeret, atque ad pietatis officia exhortandam, quibus ejus loci incolis multùm prodesse posse sciebat, conferre se non indignum putavit officiosissimus Præsul. Quo facto datâque occasione, ægritudinis suæ causam fœminæ exposuit. Illa commiserari se dixit: non difficile tamen sibi fore remedium, siquidem curari a se non displiceret. Manum tantùm

sibi

sibi explicatam traderet, ut morbi genus animadvertere posset. Medicina in Peruviis apud fœminas versatur. A viris non æquè culta. Peritissima verò siqua alia medicæ artis hæc qua de loquimur censebatur. Turibii ad hæc responsum fuit, non oris, sed pudoris. Neque aliàs perturbari magis visus. Manum mulieri tractandam tradere, vel tantùm rogari modestiæ inexpiabilem offensam ratus! Jamque ab ea magis quàm a sua pustula timens, discessionis occasionem quàm fieri posset citissimam, silentio expectabat. Quod servus animadvertens, causâque perturbationis optimè deprehensâ pro Domino discedendi veniam statim petivit; longiorem moram valetudini nondum confirmatæ apparere ex recenti vultus perturbatione minimè opportunam prætexens. Nihil ibi Præsul cunctatus, dictâque principi fœminæ paucis verbis salute, ab ejus aspectu, velut ab angue refugit: auditus identidem in digressu, ac per viam dicere: *Pape! Me manum tradere! Manum nostram velle, & videre, & contrectare!* Tanti nimirum valetudinem manus non æstimans, quanti Modestiam.

XXXI. Sed Turibii humilitas, in propriis virtutibus occultandis tegendisque maximè enituit. Servile circa corpus suum ministerium non admittebat; eodem, quo ipse cubiculo, neminem dormire patiebatur: foribus munitis penitissimè a cæteris se recipiebat, ne quis scilicet se noctes integras divinis commentationibus vacantem: ne in pavimento vel assere, in summa quietis necessitate cubantem: ne flagellis nudâ tergâ cruentatem; ne cætera pœnarum, ac virtutum instrumenta: ne frequentes ad cæleste bonum aspirationes, ac suspiria; ne cum Cælitibus ipsis sæpe consuetudinem observare, aut evulgare posset. Quid quòd & domesticis innocenter imponere ne ex indiciis deprehenderetur solitus erat? Lectum enim habere in cubiculo optimè instructum voluit, quo ad quietem se usum, ut credi posset, mane perturbatum relinquebat. At servorum sagacitatem ne ita quidem fefellit, dum lintea semper eodem modo candida, nulliusque corporis attritûs referentia animadvertebant. Ibidem p. 291.

XXXII. Quamvis assiduis doloribus conflictatus ob quotidianas sui corporis cædes, cæterosque cruciatus, summam tamen, ac perpetuam vultûs hilaritatem præferre vidisses, ut nullo vel dolore, vel incommodo affici videretur.

XXXIII. Per Provinciam quibus locis secretissimum cubiculum non reperiisset, agrorum, ac sylvarum solitudines nocte petebat,

bat, ubi sine arbitris, nulloque observante, liberioribus suspiriis, aspirationibus, gemitibus, corporis castigationibus, Divinam Majestatem imploraret.

XXXIV. Denique illud planissimum est, ac maximè perspicuum, de se suisque rebus, vel semper eum tacuisse, vel necessitate cogente, tanta cum modestia locutum, ut quæ occultare omnino non posset illa quàm accuratissimè imminuens celaret. Ita cum de iis ad Pontificem Maximum, seu Regem referret, omni verborum ambitione, omni ampliatione abstinebat, ut inornata veritas, haud perinde splendesceret.

XXXV. Cæterum cum tanta animi demissione, ac modestia, magnanimitatem, dignitatis que summam, ac prudentem rationem, conjunxisse TURIBIUM omnes testes confirmant. Neque enim Modestia est, sed inertia, quæ aliquando ubi opus est Ibidem p.292. nescit attolli. Sensere Garzia Mendozęus, atque Aloysius Velasquius Regii Præfecti. Sensere Joannes Ortizius, atque Alphonsus Alvarettus Prætores. Sensit cum suis asseclis Cusquensis Antistes: sensere innumeri alii, quàm sublimes ab ea Humilitate spiritus interdum exurgerent. Quàm enim in se peccantibus modestus, atque indulgens, ut qui non alium de se, quàm de vili mancipio omnibus omnium contumeliis, odiis, injuriis obnoxio conceptam opinionem habebat, tam acer ac fortis in Religionis, aut Sacri Juris violatores, flagitiisque præcipuè Clericorum arguendis, ac vindicandis esse videbatur. Si quos enim turpis lucri cupidos, aut hujusmodi criminum reos: si quos inquinatis moribus: si quos sacram personam indignè pudendèque agentes, publicè convictos comperisset; cum his non sibi adeo demissè agendum, connivendumque rebatur.

CAPUT III.

TURIBII *In Paupertatem amor*.

Ca. XVIII. p. 273 I. JAm ut in summa demissione erectus, ac sublimis, ita in multa opulentia pauperrimus. Limensium Antistitum census quanti sint, alibi dixisse me memini, ampli nimirum, & ei Præfecturę non impares, TURIBIANIS temporibus etiam aucti plurimùm. Ad triginta enim scutatorum millia annui redditus Successori reliquisse dicitur, triplo enim auctiores reddius, quàm cum illam Ecclesiam regendam suscepit moriens reliquit.

II. In hac igitur opum copia summam paupertatem potuisse perpeti, prodigii simile videri queat, nisi & voluisse credatur. Nun-

Nunquam enim animum induxit eos redditus, quos amplissimos percipiebat, suos esse ut crederet; sed Christi pauperum, inter quos postremo se loco numerabat. Hinc minimâ eorum parte ad suos, familiæque necessarios usus vix servatâ, cœteros iis distribuebat, quorum & esse censebat. Illud omnium testimonio certissimè constat, ne teruncium quidem apud se habere voluisse: Nummorum nec nomina, nec pretia nosse; abstinuisse denique tanquam a sordibus, & quisquiliis ab omni pecuniarum contrectatione. Procuratoribus censui suo præfectis diligentissimè mandaverat, ut dati, acceptique rationes in Tabulas referrent, ne pauperum patrimonium dissiparetur curarent. Ut autem citra omnem fraudem summâ fide administraretur, ejusdem reddi rationes ad quadrantem quotannis saltem volebat Duumviris religiosæ severitatis, æquitatisque incorruptæ. Tunc maximè lætus tanquam Divinitatis creditor, cum omnem censum pauperes abstulissent, superarenturque accepti rationes.

III. Cresceret census, an minueretur scire neutiquam laborabat: neque Procuratores de ea re unquam interrogavit, dum qualiscunque esset optimè dispensari cognosceret. Adeo ut non locupletis nomen sibi compararet, sed ut boni dispensatoris parum, an multum a Deo dispensandum acciperet, satagebat.

IV. Ut plura essent, quæ dare posset a domesticis sumptibus, a sua mensa, ab indumento, nonnihil vel necessarium suffurari, decorum honestumque habuit. Alienam paupertatem non ferens, suam amans.

V. Nullam sibi exactionum decumarum, nullam quartarum, nullam cœterorum nominum curam assumere.

VI. Enimverò in ædificiorum extructionibus (Ædes enim sacras plurimas, Valetudinaria, Asceteria, Collegia extruxit) Ibidem p. 275. præter omnem suum morem fabris, atque operis ipsemet præesse (neque enim Procuratorum diligentiam satis fore putabat in stipendiorum dispensatione promptam, ac fidam) ipsemet suis manibus, ea operariis partiri voluisse dicitur.

VII. Præterea suarum rerum nihil satagens, nihil sollicitus, quorum totam administrationem a se rejecisset, in Collegii tamen bonis administrandis, quæ ad sacrorum Ministrorum Seminarium augendum pertinebant, adeo sollicitus, adeo fraudem metuens fuit, ut nulli eam abs se curam committendam putarit. Ipsemet annuum ejus proventum, relatum in Tabulas habere; ne

ne quid minueretur summâ diligentiâ, ac studio curare.

VIII. Ad mendicandum quotidianum victum se redegisset; siquidem res ipse suas administrare itidem voluisset. Etenim adeo nihil sibi retinere poterat, ut si hodie quidquid auri in Peruviis est, suum esse novisset, nihil in crastinum diem sibi integrum reliquisset quod indigentibus non distribuisset. Opus erat ut nesciret rationum suarum numeros, ut non statim ad nihil deveniretur.

IX. Opes mortales tanti fecit, quanti res nihili, ac meras nugas. Quamobrem ut nullo earum amore capiebatur, nullâ admiratione, ita æquè omnes contemnebat. Consanguineis magis ipse alebatur, quám eos alebat: quos siquæ fortunarum angustiæ premerent, a vulgo pauperum non secernebat.

Ibidem p.276. X. Augendæ rei nullæ artes, licèt bonæ & honestæ. Quantum enim pecuniarum conflasset, si quæ fas permittit munera in provinciali negotio accipere ab initiatorum, confirmatorumque tot centenis millibus voluisset? Cereos, sudariola, tænias, cæterorum Præsulum emolumenta non levia, non accepit, etiam dedit. In jure dicundo, ita ab omni sorde abstinuit; ut ne ea quidem acciperet, quæ leges omnes permittunt. Nil illi venale, omnia gratuita. Supremis tamen vitæ temporibus fiscum habuisse dicitur, in quem illud tantum æris conjiciebat, quod colligebat ex mulctis quibus plectebantur ii qui ausu contumaci sacras Censuras incurrebant: illâ pecuniâ in pios tantummodo usus nullamque aliam in rem semper utens.

XI. Cum pauperculis veluti sui similibus, versari magnopere gaudebat, quorum circa se greges, cum cibum præsertim caperet contueri, negatis sibi ipsi dapibus refovere, eodem quo ipse bibebat cratere poculum dare, delitias ejus esse credidisses.

XII. Ex eodem erga Paupertatem affectu, provinciales res Ibidem p.277. administraturus ea secum dumtaxat convehi patiebatur, quæ tam longè ab ostentatione essent, quám cum summa necessitate conjuncta. Hæc verò ipsa, quæ Præsulem decerent, ac pauperem. Quanta in vestibus modestia jam supra meminimus, ut a cæterorum Sacerdotum vulgo vix quiret internosci. Nec semel accidit, ut ad eum venientes homines rudes Archiepiscopum ab Archiepiscopo quærerent; vestium simplicitate, paupertateque decepti. Culcitram maximè tritam ac vilem, cum lodicula & linteis ejusdem notę, ad minuendam potius hospitibus lecti comparandi curam, quàm ad ullos suos usus deferre solitus. Quam paupertas

tatem quidam aliquando e familiaribus admiratus: *Cur*, inquit, *Domine in tuam dignitatem sic peccas? Hic Limensis Præsulis lectus? hoc stragulum? hæ culcitræ? Post quotidianam, ac laboriosissimam administrationem defecto pene corpori quæ delitiæ! Saltem valetudinis ratio habeatur, ubi dignitatis ita negligitur. Quæ quies in culcitra tam dilaniata inveniri possit equidem non video. Cognitionem peregimus, Domine, si laboribus tantis nulla succedat quies. Quis dubitet oneri succubiturum, interiturumque brevì corpusculum? Non unâ opus est tibi, sed geminâ culcitrâ, optimè farta, atque instructa, ut valetudini, dignitatique non dico fiat satis, sed ut non injuria.* Ad quæ Præsul: *Apage*, inquit, *istas curas hoc tempore. Montes quò tendimus abundant stipulis. Sat molliter cubabitur, si super his addatur & culcitra, licèt non optima, ac leviter farta.* Quo responso, quàm maximè paupertatis artibus delectaretur satis declaravit.

XIII. Nec in stragulo solùm eam amare prætetulit, sed in cæteris quibusque rebus: nam identidem Indorum ad sedes profectus, quò abacus domesticus propter naturam locorum asperam, & aviam sequi non poterat, incolarum patinis, quas mates vocant, atque e cucurbitis bipertitis conficiunt, agrestem pultem tantâ suavitate capere visus, quantâ in argenteis, atque auris non cepisset.

XIV. Pecunias adeo non amavit, ut etiam hostilem erga eas animum gesserit, nec apud se habere voluerit, nec eorum nomina, aut pretia didicerit. Eventus id aliquando apertissimis indiciis comprobavit. Clericum nescio cujus criminis reum mille aureis mulctarat. Mulctam ille, utpote pecuniosus, ac viri opinione suâ sancti sententiâ se justè damnatum ratus, ad eum statim detulit, sacculisque apertis in mensam effudit. Obstupuit Turibius in tot aureorum copia, seque tantâ eum summâ mulctare voluisse negavit. Tum particulâ mulctæ nomine sepositâ, quam partim sacris Virginibus, partim rei ipsius consanguineis pauperculis attribuit, cætera quæ supererant, sibi hominem referre jussit. Hæc Jacobus Lusitanus Regii Senatus apud Carchas Præses, virtutis, ac prudentiæ laudibus Vir apud Indos celeberrimus, narrare de Turibio solebat.

XV. Illud quoque alteri accidisse referre solitus, qui debitam pecuniæ pensionem ad eum detulerat. Cognito enim pecunias deferri: *Procul hæc*, inquit, *procul. Apage e domo mea hostis. Ad Franciscum Quinonium deportato.* En quo loco aurum, atque argentum ab eo censebantur. Ibidem p.278.

Q XVI. Ad

XVI. Ad oras aliquando Indorum accesserat ubi summâ rerum inopiâ laborabatur; eademque erat Ædium sacrarum conditio quæ totius gentis. Nihil splendidum, nihil cultum, nihil ad res Divinas dignè comparatum. Quas miserias relevare Præsul volens, omne argentum suum, ac vestem inter pauperes, Ædesque sacras diviserat, ipse ad maximam inopiam redactus. Non pedo, non Cruce, non pelvi, non aliâ quavis re suos ad usus reservatâ. Interrogantibus, cur sibi necessaria ad mensam, ad indumentum aliis daret? *Hæc*, ait, *domum regressi*, aberat octingenta ferè millia passuum, *facilè nos reparare poterimus: præsenti sacrarum Ædium necessitati consulere, nunc satius est, Divinisque obsequiis inservire*. Aliis jam abacum vacuum, nullamque super patenam argenteam, in qua cibus ministraretur esse quærentibus: *At Apostoli*, inquit, *nunquam argenteis lancibus usi sunt*. Quo se quoque eorum æmulatorem fictilibus, ac vili Indorum pauperum catillo in mensa sua uti posse significavit. Neque Apostolico Viro indignum idcirco agi.

Ibidem p. 279. XVII. Constat denique post mortem ne obulum quidem in fiscis ejus repertum, quo exequiarum honos pro dignitate haberi posset. Omnem quippe ejus anni censum jam in pauperes effuderat, ut alienis sumptibus funus ejus curari oportuerit.

CAPUT IV.

Ejusdem LIBERALITAS.

Cap. VII. p. 220. I. HACTENUS pauperem TURIBIUM demonstrasse sufficiat. Jam Liberalitatem, vel Paupertas ipsa miretur. In uberrimam sanè segetem falcem immitto, quam si totam persequi velim deficiam, antequam finio. Selectiora quædam delibare opus erit, ne multitudine, magnitudineque obruar. Equidem paucos antiquæ sanctitatis Viros in hoc liberalitatis studio pares habuisse TURIBIUM existimo, recentis fortasse nullos.

II. At quomodo, qui nihil pene apud se habuit, tot tantaque poterat aliis impertiri? Hoc nimirum paradoxi simillimum est, quod & nihil habuit, & plurima tamen dedit. Plurima vero! Immo plura dedit, quàm habuit. Miraris? Age dum, res dictis mox fidem facient.

III. Academia Vallisoletana testis est, quàm liberalis ejus adolescentia extiterit, quo loco primùm Largitoris seu ELEEMOSINARII cognomen audire cœpit. Portionis pro ejus alimentis

mentis a parentibus missæ maxima pars miseros aluit. Sibi vel maxima necessaria subtrahebat ut pauperes pasceret, ac foveret. At de his temporibus, vix pauca TURIBIANÆ liberalitatis vestigia retinentibus inveniuntur. Haud dubium quin singularia multa, atque egregia hujus edita exempla generis, unde tam clarum cognomen accederet, scriptorum vitio interierint. Esto, ut jactura dolenda sit, tot tamen, tantaque in Pontificatu edidit, ut horum copiâ, illorum supplere possimus defectum.

IV. Illud cum primis in genere mirandum subit suo censu liberaliorem fuisse TURIBIUM, hoc est, plura ut dicebam dedisse, quàm habuerit. Rationum Tabulis Præfectus Franciscus Quinonius datis cum acceptis sępe collatis, cum superare illa multis numeris videret, ut non pari magnanimitate, expensas, hoc est, in miseros liberalitatem contraheret eum hortabatur, alioquin eò se redactum iri, ut ære alieno ad se familiamque servandam obstringeretur. Ille verò, cui pręter munificentiam, singularis de Providentia Divina erat fiducia, hos timores eludens, extendi potius, quàm contrahi jubebat, illud identidem in ore habens: *Hilarem datorem diligit Deus*. Ibidem p. 221.

V. Quoniam verò duæ illi manus dandi voluntati non satis erant, a largitionibus viros habuit publicos, ac privatos. Hos e paucis omni virtutum genere ornatissimos, spectatissimæ fidei, atque incorruptos delegit: qui miserorum nomina scripto exciperent: eorum necessitates pervestigatas sibi renunciarent: pro earum ratione pecuniis a Procuratore suo acceptis opem ferrent.

VI. Nemo quidquam ab eo petiit, quin voto majora retulerit; neque enim ad modestiam petentium, sed ad liberalitatis suæ libram danda pensabat. Qua in re nullas interponi moras tulit, nullas excusationes Procuratorum caritatem pecuniariæ rei querentium ratas habuit. Nisi statim daretur quod jusserat, brevissimas quasque moras geminatâ liberalitate corrigebat. Ibidem p. 222.

VII. Omnem porro TURIBIANÆ liberalitatis rationem trifariam divisam esse animadverto. Partem Religio, & Sacra obtinuere. Reipublicæ altera pars, ac miseris generatim cessit, juvandis. Tertia in miseros singillatim collocata est, quarum quæ alteram superarit haud ita facilè dijudices.

CAPUT V.

Liberalitas in his, quæ ad Religionem, & res sacras spectant.

Cap.viii. p.223. I. PRIMAS quidem habuit Religio: etenim, cum ejus esset amantissimus, nusquam, quæ ad eam pertinerent neglectui habere, aut non pro dignitate excoli passus est. Multas per Provinciam Aedes sacras ædificavit, multas restauravit, multas supellectili sacrâ exornavit. Quod si Regionem totam Peruviensem obire, singulorum locorum, ac gentium voces percipere posses, passim audire liceret. Hanc Aedem TURIBIANA liberalitas mihi extruxit: alibi TURIBIANÆ largitatis monumentum, has Nolas, hos sacros Calices, hæc sacerdotalia ornamenta agnosce. Illic ostentarent candelabra, & Cruces ex argento, hic acerras, & vasa ad rem Divinam conficiendam non vulgaria, cum ejusdem liberalitatis commendatione. Vix gentem amplissimæ Provinciæ ullam tam procul positam, ad quam TURIBII beneficium aliquod non pervenerit, ubi singularia non extent vestigia reperies. Pauca hîc e multis persequar, quæ locis insignioribus liberaliter gessisse fertur, ac dignitatem habere videntur majorem.

II. Ac illud primùm occurrit, quod apud quemdam Indorum populum factum est. Eò progressus cognitionis causâ TURIBIUS pro Aede sacra pene stabulum conspexit. Crux e simplicioribus lignis compacta in cippo rudi, atque inornato unicum inerat Religionis vestigium. E rebus cæteris nil Deo dignum. Caussam tantæ incuriæ ex incolarum incredibili paupertate proficisci intelligit. Sacerdotis tenuissimas res vix alendo pares. Igitur eam Templi faciem squalentem, ac fœdam miseratus Præsul, præsenti ope quâ maximè potuit adjuvit. Atque inter cætera ligneam illam Crucem pro altari positam argenteâ suâ commutavit, eâque in hastam sublatâ sibi præiri jussit, donec argentea haberi ex Urbe posset. Sæpius id factum memorant & aliis locis ubi eadem necessitas premeret. Adjecit nonnunquam, & argenteos urceolos cum pollubris, ad Divinorum ministeria. Adjecit sacras vestes, adjecit candelabra, & acerras, & calices, & hamulas, quibus omnibus uti ipse consueverat: vulgaribus interea, atque e viliori materia ipse utens.

Ibidem p.224. III. Pagum de nomine Sanctæ Mariæ de Parilia dictum invisen-

visenti, loci Sacerdos Martinus ab Arancivia ejus sacræ Aedis inopiam Turibio commemorat, atque opem poscit. Neque enim, ajebat, Dominici Corporis anniversariis sacris duci supplicatio de more potest, deerant quippe omnia quæ ad gestandum decenter Christi Corpus necessaria erant. Non ultra rogandus fuit Præsul. Continuò sex argenteas lances e suo abaco dari jussit, quarum pretio sacræ suppellectilis necessitati consuleretur. At servus qui dare jussus, duas insignis magnitudinis, atque elegantiæ aliis aliquantò minoribus commutare ausus, in causa fuit, ut donatum augeretur, sexque illis, & duæ minores jungerentur.

IV. Apud Canchaum Pagum, servi incuriâ scyphus aureus trecentis vix scutatis factus, paternum Turibii monumentum, amittitur. Quo cognito idem servus, prius Domino quàm nuntiaret, remetiri retro itineris confecti spatia statuit, sicubi forte inveniret amissum. Invenit, rediitque altero die, noctem enim totam quærendo absumpserat, cum scypho lætus. Res Turibio renuntiatur, qui præteritam famuli sollicitudinem ferre ægrius quàm pro scyphi recuperatione lætari visus est. Mox ne ultra quod omnium erat carissimum amitti posset, Deo Optimo Maximo donum dedit in sacræ ejus Aedis ornatum transferendum.

V. Armentum Bouum (qua una in re omnes ejus gentis vitæ artes, ac fortunarum ratio constat) in Majobambensi, & Cacopojensi ditione copiosum emit, cujus fructibus Paræciam ditavit, ubi propter inopiam nec Sacerdos, nec Divinæ res haberi poterant, magno incolarum damno, animarumque pernicie.

VI. Majobambæ verò Urbi, minimè omnium splendidæ, ac locupleti, in sacræ Aedis munditiem, ac decus quid non dedit? Lampades deerant. Argenteas fieri curavit. Vasa ad rem Divinam paupertate squalebant. Auro, atque argento nitida effecit. Sacræ vestes desiderabantur. Splendidè providit. Octo præterea ex argento paropsides dedit. Simul Crucem cum hastili, dicens, ob ponderis nimiam gravitatem commodè præferri non posse. Campanas non sacravit solùm, sed magna ex parte ære suo curavit.

VII. In Provinciam quoties profectionem adornabat, multum argenti facti, multum Attalicæ vestis in sarcinas conferebat; specie quidem pro suis usibus, revera ut indigentibus Ecclesiis elargiretur. Nam illud omnium consensu constat nihil unquam domum retulisse eorum, quæ convehi secum jusserat, non pa- Ibidem p.225.

paropſidem, non argenteam Crucem quæ illi præferri ſolebat; non ſacrum Pedum. Immo non ſemel accidit, ut antequam domum reverteretur ter, quaterque totam ſuppellectilem reparare oportuerit, quam brevi tempore ita transferebat, ut nihil ſibi reliquum faceret.

VIII. Cum verò domi eſſet, non tamen liberalitatem ejus Aedium ſacrarum anguſtiæ deſiderarunt. Cognitores enim ad eas interdum mittebat, datis muneribus non exiguis ad tenuitatem ſacræ rei ſublevandam, ad coëmenda ſacerdotalia ornamenta, ad removendas Divinis altaribus ſordes, atque accerſendum ſplendorem.

IX. Quale Capocavanenſi B. Mariæ Virgini Sacellum in Urbis Regum Baſilica condiderit, pulcherrimè nimirum inſtructum, ac liberaliter ornatum: qualem Divo Lazaro in ſuburbio Limenſi Aedem: in ipſa verò Urbe quale Divæ Claræ cum ſacrarum Virginum Collegio Templum, jam ſupra demonſtratum. Multa quoque in Eccleſia ſua, ſingulari munificentiâ, ac liberalitate ab eo facta, etiamſi teſtes taceant, ratio perſuadet. Neque enim veri videtur ſimile ſponſæ ſuæ ornamenta nulla quæſiviſſe, qui tot tantaque ſolebat alienis.

CAPUT VI.

Liberalitas in iis quæ ad Rempublicam, & miſeros generatim.

Cap. ix. p.225. I. ALTERAM TURIBIANÆ munificientiæ partem publicæ res occuparunt. Res voco publicas, quæ non ad unius ſingularis perſonæ commodum, ſed ad multorum pertinent qualia ſunt Collegium, Academiæ, Valetudinaria, atque hujuſmodi, vel a fundamentis propriis extructa impenſis, vel ab anguſtiis rerum neceſſariarum liberaliter erepta. Non hîc repetam, quæ ſupra de TURIBIANA Academia, deque ſacrarum Virginum domiciliis maximis ejuſdem ſumptibus exædificatis, ampliſſimis proventibus auctis, commemoravi. Pauca tamen exempla non omittenda videntur, in quibus quàm præclarè in hoc publicæ liberalitatis genere TURIBIUS præcelluerit dijudicare non poſſit nemo.

Ibidem p.226. II. Valetudinarium habent Hiſpani præcipuum in Urbe Regum ſub auſpiciis Divi Andreæ Apoſtoli. Hujus auctor Præsbyter quidam ſæcularis Franciſcus de Molina. A quo rogatus Præ-

ſul

ſul ut opus longè maximè pium ope ſuâ juvaret, ducentos ei pendi argenteos continuò mandat. Procurator, erat is Franciſcus Quinonius, de quo ſæpe memoravi, defectum præſentis pecuniæ cauſatus, ſequenti die ſe numeraturum illam dixit. Quâ difficultate Turibius cognitâ, ac perendinationis impatiens, parendi enim aliquam in cæteris cunctationem ferre poterat, in largitionibus nullam, Mancipium ex Maurorum genere quingentis nummis emptum, cujus operâ uti plurimùm in adminiſtratione domeſtica conſueverat, cum litteris ad eumdem Molinam mittit, in quibus erat ſcriptum: Litterarum latorem, pro dilata a Quinonio largitione jure retineret: atque ut valetudinarii proprium in ægrotantium ſervitiis deinde occuparet.

III. Haud multo poſt eidem Molinæ quinquaginta aureos numerari jubet. Eadem pecuniæ difficultas, eadem mora. Quid faciat? Hominem Turibius e ſtabulo ſuo Mulam omnium præſtantiſſimam, ac multo ſanè majoris pretii, quàm quod a Quinonio citò non dabatur, ſibi adducere pro pecunia jubet.

IV. Ut malè valentibus in Noſocomio, ſubſidium aliquod impertiretur, tertiò a Præfecto in ſumma difficultate rogatus, quingentos dari ſcutatos præceperat. In diem poſterum juſſa dilata. Quod ſuſpicatus Turibius a Procuratore redeuntem hominem e feneſtra videns, ad ſe vocat, & an quingentos acceperit, percontatur. Promiſſos in alterum, aut perendinum diem affirmanti: *Non ita*, inquit, *Jam nunc, ſi Deo placet, neceſſitati ægrotorum conſulendum eſt*. Tum dari juſſit Mulam ſuam, umbellas majores quæ domi erant omnes, quatuor ſcyphos argenteos, par Maurorum ſervorum, aliaque non quingentorum ſolùm pretio, ſed multò pluris æſtimanda. Super hæc vero die ſequenti promiſſam pecuniam ad aſſem numerari voluit.

V. Ad hæc duo aureorum nummûm millia ad ægrorum curationes, ac puellarum dotes ſingulis annis xenodochio, cui a Caritate nomen, impertiebatur. Neque his contentus, cætera quoque ægrotantium Collegia magnis opibus juvabat.

VI. Anno Limenſi populo peſte laboranti, quâ liberalitate afflictæ Civitati ſubveniri juſſerit ſupra expoſuimus. Ibidem p.227.

VII. A Rege Hiſpaniarum Philippo Secundo, ſeu potiùs ejus nomine a Regio Præfecto Aloyſio Velaſquio mutuam pecuniam, aut donativum in Reipublicæ neſcio qua neceſſitate rogatus, ubi viros doctos de ea re conſuluiſſet, de eorum ſententia

decem

decem millia nummûm donativi nomine dedit. Eâ tamen conditione, ut in Christianæ Religionis propugnationem atque opem insumerentur, expeditione adversus barbaros susceptâ. Alioquin a voluntate sua valde alienum fore, si pauperibus debitâ pecuniâ Regius fiscus locupletaretur.

VIII. Francisco Quinonio sororis viro ad Quilensium res administrandas cum imperio proficiscenti, viginti millia nummûm, quos ejus Regni militibus Hispanis summa victus, ac vestis inopiâ laborantibus, ac stipendiis ferè nullis bellum Christianum adversus barbaras nationes gerentibus donativum afferret.

IX. Innumeram præterea hujusmodi militum multitudinem cum conjugibus, ac liberis, fame, ac nuditate, cum iis stipendia non numerarentur, miserrimè pereuntium quotidianis elargitionibus aluit, ac vestivit, atque eorum parentem semper se, patronumque gessit. Quippe indignum putabat ærumnis eos, ac miseriis conficiendos permittere, qui ad Christianæ Reipublicæ defensionem in laboribus versabantur.

CAPUT VII.

In miseros quosque singillatim Liberalitas.

Cap.x. p.228. I. Hîc mirari necesse est & animi, & donorum magnitudinem, quorum tamen plusquam millesimam nos partem nescire certò scimus: pluraque in his adeo sibi invicem similia, ut majori operæ pretio omitti, quàm iisdem pene verbis cognosci narrata posse videantur. His nihilominus quæ dicentur magnitudinem, atque admirationem existimo non abfuturam.

Ibidem p.229. II. Aliquando duo ex Religiosa familia Viri in itinere illi occurrentes aliquod subsidium suis necessitatibus petiere. Nihil erat ad manus. Adire Oeconomum suum jussit. Dedit ille quatuor denarios. Desiderata tamen in eo largitas, majoraque ab ipso Præsule se accepturos fuisse, ut pro certo habebant, ita aucturum largitatem, siquidem tenuitatem resciret sperabant. Igitur gratias agendi specie, revera ut ab ipsius notissima liberalitate majus quidpiam elicerent, iterum se illi offerre non dubitant. Nec sua eos fefellit opinio: nam cognitâ Præsul parvitate largitionis, ac necessitatis petentium magnitudinem, Maurum illis famulum dono dedit. Illi modestè recusare, neque enim

eâ be-

eâ beneficentiæ amplitudine rerum suarum statum indigere. Minori sublevatum iri. At nihil idcirco Præsul de liberalitate minuit. Quod dederat datum esse, ratumque voluit.

III. Oculorum ægritudine quidam ex Ordine Prædicatorum Vir Religiosus ad cæcitatem pene laborans, cum remedia adhibere, aut comparere ob paupertatem non posset, a Turibio opem imploravit. Quinquaginta *Patacones*, monetæ genus, Chirographo suo dari jussit. Visa sunt largitionum Præfecto triginta sufficere. Nec plura sanè dedit. At redeuntem ab eo virum Præsul excipiens. Quantum pecuniæ illi datum exquirit. Cum triginta solùm data comperisset, redire ad Præfectum hominem jussit, suoque nomine centum exigere. Paruit. Præfectus tamen in majori summa plus hæsitavit. Quod ubi Turibius cognovit, ducenta continuò numerari voluit. Nec finem geminandi unquam fecisset, nisi omni cunctatione sublatâ, quod postremò jusserat datum fuisset.

IV. At illud non minus memorandum quod Augustinus Pardave testatur, domesticorum ipsius Turibii, ac Bernardini Mogrobesii Nepotis relatione a se auditum. A prandio cum cæteris ad corpora curanda dilapsis solus Præsul in triclinio esset, accessit ad eum vir publicè mendicare verecundiâ prohibitus, necessitate coactus; cui cum pecuniam nullam haberet quam daret, nec famulorum quispiam adesset, quem ad Præfectum cum homine mitteret, oculis omnia proximè circumspiciens, ac viso in abaco argenteo cratere, hunc tradens: *Pallio*, inquit, *obtectum defer*.

V. Simile illud, quod Rodericus Hernandes testis minimè contemnendus in oculis suis accidisse affirmat, de quadam fœmina maximis inopiæ incommodis affecta. Erant enim nubiles illi filiæ duæ, nihil dotis, nihil quo eas aleret, quo vestes compararet, adeo ut biennio domi inclusas pudor nuditatis tenuisse diceretur, ne in publicum, ne ad sacra quidem prodirent. Auditâ Præsul fortunæ hujusmodi angustiâ, opemque rogatus, postquam commiserationis sensum præsetulit, vas argenteum, quod primum sors obtulit, mulieri dedit, cujus pretio, ducentis circiter nummis venire poterat, propriæ, ac filiarum necessitati in præsentia consuleret, eamdem monens ut ab oculis domesticorom caveret. Ibidem p. 231.

VI. Habet cum liberalitate leporem quod sequitur. Aderant vescenti Turibio semper mendicorum greges, inter quos

 appo-

appositas sibi dapes tribuere, eodem scypho poculum, eâdem patinâ fercula ministrare maximopere delectabatur. Hæc aliquando dum peraguntur, in turba frequenti, quidam argenteum vas, in quo cibi portionem acceperat, furtim auferre non dubitavit. Cum quo dum loco se proripit, a famulis deprehensus jurgio non sine verberibus afficitur. Gemitu vapulantis, & fragore commotus Præsul, quid turbæ inter servos sit quæritat. Homo miser producitur furti reus. Credebatur scilicet Præsul cum eo acerbius acturus, justèque pœnas irrogatas comprobaturus. At humanissimus Præsul famulorum linguis manibusque compressis: *Sinite*, inquit, *sibi miserum habere, quod jurgiorum, ac verberum pretio comparavit*.

Ibidem p.232. VII. Auditâ Turibius Sacerdotis cujusdam apud Divi Sebastiani in ipsa Regum Urbe animarum Præfecturam gerentis insanabili ægritudine, misit ad eum homines certos, qui suo nomine inviserent, atque opem si quâ indigeret suam offerrent. cælesti providentiâ id fieri æger erga se ratus, renuntiari Turibio rogat se quidem omni ope, atque auxilio destitutum cum morte colluctari. Nullá tamen re magis animum suum angi, quàm quod cum ducenta, atque amplius stipendia & sacrificia accepisset, atque ut suum esse cognoscebat Sacra ex neglectu non fecisset, moreretur, neque restituendi ulla jam esset facultas. Proinde etiam atque etiam orare Præsulem, ut in semet debitum reciperet, animumque suum Divini judicii eo metu liberaret. Quibus Præsul auditis, *videamus*, quasi per jocum ait, *quid pecuniolæ fiscus noster pepererit* (in hunc emolumenta ex subscriptionibus censurarum jure facta conjicere sub extremis vitæ temporibus cœperat, in stipendia sacrificiorum pro piis Defunctis impendenda) sciebat enim pauca quædam se conjecisse præsentem minima ex parte necessitatem levatura. Mira res! Aperto fisco ducenti & plures nummi, quos *Patacones* vocant, in eo reperti, cum ne viginti quidem ante injectos fuisse constaret. Hinc decumbentis cumulatissimè eo ipso die votis satisfactum, in cunctos pene Urbis Sacerdotes distributis idcirco stipendiis. Accessit ipsius Præsulis sacrificium. Quibus nuntiis jam lętior ægrotus, intra duarum horarum spatium placidissimè christianâ morte obdormivit. Cui etiam funus Præsulis impensâ non illiberaliter ductum.

Ibidem p.230. VIII. Petenti subuculam militi duas dari jussit. Ubi datas ex detritis cognovit, cubiculum ingressus quam paratam sibi reperit

perit candidam, atque optimam ei dedit, additâ pecuniarum largitione.

IX. Filias in matrimonium collocaturis opem ab eo implorantibus, alii ducenos aureos, alii Mulam phaleris ornatam, alii mancipia dedisse traditur.

X. Si quando loculos exhaustos præteritâ largitione inventuros qui a se aliquid petebant suspicaretur, ne frustra largitionum Præfectum adire cogeret, plerunque enim ad ipsum mittebat, eis quidquid pretiosi ad manus sois offerebat, aurum, argentum, lapides pretiosos, vestes suis ipse manibus statim dabat. Qua in re, ne indumentis quidem sui corporis quibus eo tempore utebatur pepercit: nam Clerico indigenti togam, qua indutus erat aliquando donavit.

XI. Alteri verò Servatoris Nostri natali die largitiunculam roganti, ac subucula se carere dicenti, detractam quam sibi ipso die novam induerat dedit.

XII. Candelabro aliquando argenteo dato, candelam manu suâ tenere visus est. Quam rem indignè ferentibus servis. *Dimittite*, inquit, *has curas: Archiepiscopus nullâ re indigere potest. Omnia illi supervacanea sunt.* Ibidem p. 234.

XIII. Dominicæ Passionis die anniversario in itinere, Indo, ac miserabili viro, omni Christianæ Religionis cognitione destituto obviam factus, opemque aliquam ab eo rogatus, postquam Fidei rudimentis animum, quasi cælesti pabulo imbuit, panem quoque quem unicum, ad ejus diei refectiunculam habebat dedit: ipse incurato corpore, viâque fesso, in posterum jejunus permansit.

XIV. Hispani hominis ex eorum numero, quos Indi *Capetones* vocant, hoc est novos colonos, petitione, dum Truxillum iter habet, auditâ, visâque calamitate, cum nihil ad manus esset, a pedibus mutuatus est. Caligas quippe dedit, ocreis sibi solis ad crurum tegmina retentis.

XV. Alteri etiam non petenti, quem inter vastæ solitudinis arenas, mulæ clitellariæ, macie, fame, ulceribus pene confectæ insidentem reperit, suam ultro obtulit optimam, optimo ephippio, ac phaleris instructam. Statimque jumentis commutatis, clitellis ipse sedens, atque infelicis bestiæ dorso lætus, iter suum feliciter & hilariter prosecutus.

XVI. Sic pius & liberalis Præsul quanquam calamitosos omnes, atque egestate vexatos summa cùm benevolentia, tum

 bene-

beneficentia profequebatur, infirmos tamen, fuique corporis invalidos fovendo, largitionibus opem ferendo, liberalitatem ipfam viciffe vifus. Etenim non contentus Difpenfatorum fuorum diligentiâ, ipfemet noĉte intempeftâ famulo tantùm confcio, accomite horum tuguria petebat, atque humaniffimis eos verbis confolatus, largo pecuniarum fubfidio eorum inopiam levabat.

Ibidem p.233. XVII. Provinciam obeunti fub Chrifti Domini Natalem munus a forore Grimaneffa delatum infigne, iifque omnibus lautè inftructum, quæ in fecundis menfis convivas delectant, pomis, bellariis, cupediis. Vidiffe illi, pomumque unicum delibaffe fatis fuit. Cætera decumbentibus ejus Oppidi ægris, aut mifit, aut detulit.

Ibidem p.234. XVIII. Nunquam finiam fi cuncta in hoc genere perfequi velim. Illud generatim dixiffe fufficiat, nihil pene in ejus domo fuiffe quod ftatim egenis non largiretur. Etenim qui fuum nihil effe animum induxerat, cuncta pauperum. Se verò tantùm difpenfatorem ne fraudis, atque iniquitatis in rationum fuarum judicio argui a Deo poffet, maximopere cavendum fibi exiftimabat. Hinc fuum iis quorum erat difpenfare nullâ re fibi ufurpatâ fas effe ratus, tamdiu rem aliquam domi effe finebat, quamdiu qauperibus non opus effet. His indigentibus fummâ fide impertiebatur; etiamfi iis carere fine maximo fuo incommodo aliquando ipfe non poffet. Quemad modum cum fuas veftes, aut ftragulum, & lodiculas, aut commeatus, & vitæ fuæ neceffaria præbebat.

XIX. Nec femper hæc ut peterentur, a ut ipfe adiretur expectare poterat, fed e feneftra calamitofos identidem confpicatus iis quidquid offerebatur projicere folitus erat. Quibus in rebus ut liberalitati indulgere, fic omnium oculos effugere fummopere ftuduit.

XX. Hinc foror ipfius e domeftica quotidie fuppellectili aliquid defiderari animadvertens, nunc argentea vafa, nunc ftragulam veftem, nunc parietum ornamenta, fufpectam famulorum fidem fæpe habuit, earumque ab eis rerum rationem muliebri increpatione caftigatis exigere non dubitabat. Quam delitigantem cum Præful aliquando audiret, ad eam fubmittebat qui fuis verbis fignificarent: poneret follicitudinem atque invehi in infontes defineret. Fraudem in famulis nullam: quid de iis rebus actum effet fe habere exploratum. Neque amiffa, aut depen-

deperdita, sed integra, & meliora reditura.

XXI. Cæterum TURIBIANÆ liberalitatis amplitudinem intra certos limites concludi posse non puto. Septem primis annis, quibus Provinciæ præfuit, rebus adhuc valde angustis supra centum quadraginta tria millia trecenta aureorum nummûm se largitionibus pauperum impendisse, ad Clementem Octavum ipsemet fatetur. Chilensium Pontifex, qui pro funere laudavit plusquam trecenta aureorum millia toto vitæ tempore elargitum TURIBIUM affirmavit. Alii pluribus numeris hanc summam transgressum verò similius putant, additis præsertim quæ in ædificiis, de quibus supra meminimus, collocata sunt.

CAPUT VIII.

Caritas erga Proximos.

I. INSIGNIA sunt atque singularia quę TURIBIUS in proximos caritate incensus gessit, utque in tanta rerum gestarum copia ordinem quendam sequamur, primùm de ipsius ardentissimo salutis animarum zelo, deinde de alienæ calamitatis commiseratione, postremò de ipsius erga inimicos amore dilectioneque, atque offensarum omnium condonatione, sermonem instituemus.

II. Jam cum partem hominis optimam, atque immortalem non corpus, sed animum esse perspicuum sit omnibus, hanc TURIBIUS præ cæteris partem sibi in quolibet proximo diligendam, ac juvandam omni studio, atque operâ putavit, adeoque ejus æternæ salutis cupiditate exarsit, ut mirum sit tamdiu vivere eos inter æstus potuisse. Incitamentum illis, & materiam affatim suppeditabat Amor Divinus. Hæc porro cupiditas quem hominem facere non coëgit? quò non impulit? quibus periculis non objecit? Hæc nunquam illum cessare, nunquam defatigari, aut animo dejici ob laborum magnitudinem, quos ei, vel Provincialis administratio, vel temporum, vel locorum vices, vel hominum improbitas plurimos attulit patiebatur. Hæc una ut Europæ pulcherrimum, nobilissimumque Regnum, natale solum, parentes, propinquos, amicos relinqueret, remotissimasque immensis pene aquarum spatiis ab Europa Regiones adiret incitamento fuit. Cap. VI. p. 205.

III. Neque vero hîc repetenda, quæ superiores commentarii exhibuere, hujusmodi caritatis facinora, nisi quædam ibi,

aut

aut prætermissa, aut minus exposita. Nam quis non videt omnia ejus gesta ad hanc animarum salutem procurandam totum Viri sancti studium contulisse? Huc pertinet Provinciæ suæ, tot annis, tot itineribus, tot laboribus, tot periculis, frequens cognitio. Huc Athenæorum, Parthenonum, Gymnecæorum, Templorum extructiones, huc quas paulo ante recensui majori ex parte largitiones. Vnius autem hominis æternæ salutis in tuto collocandæ causâ, inter omnium discriminum adversitates, fluctus, morti caput objectare, nedum adire, profundere domesticas opes, rerum omnium mortalium jacturam facere non dubitasset. Etenim non semel apertissimo captis sui periculo, ut unum aut paucos a Christiana Religione vel extorres revocaret, vel alienos perduceret, vel indigentibus suppetias ferret, rapidissima flumina non sine manifesto periculo tajiciebat divino fretus auxilio, quo talia caritatis opera suscepturus se adjutum iri certâ fiduciâ sperabat. Eâdem spe animique fortitudine confirmatus profundas valles, prærupta montium juga, iteneraque difficultatibus & incommodis undique obsita superabat.

Ibidem p. 206. IV. Aliquando accidit ut cum plures Baptismi aquis tintos Christo adjunxisset sciscitaretur. Ecquis Baptismo Christianę Fidei nomē daturus superesset? In proximo quidem neminem, procul verò ad novem circiter millia passuum hominem quendam Indum genere, penitissimâ convalle habitare dicunt; quò non pedes, non eques accedat. Manibus adrepere, scalis prærupta supplere opus esse. *Quid hoc?* ait Pręsul: *Ideo ne salus miseri hominis negligenda, beneficioque Sacramenti propter accessus difficultates privanda? Hæc ovicula errabunda, ac segrex de qua loquitur Evangelium. Age ad eam requirendam eatur.* Hęc pręfatus uno comite assumpto eò contendit, ad hominem manibus, pedibus postquam diu laboratum pervenit: denique apud eum perdiu moratus, quæ ad salutem consequendam necessaria essent, docuit, atque Baptismate initiatum reliquit.

V. Pares, aut præruptiores anfractus aliàs pari causâ aggressus, duobus tantùm famulis adscitis, ubi ad loci altitudinem ventum, ab iisdem famulis, horrore jam, ac lassitudine præfractis, ne ultra iter illud tentaret, moneri cœpit. Quos leniter increpitans. *Hoc Pastoris*, inquit, *est oves suas quærere: nam & Christus idcirco e Cælis in terras descendit. Quid si nos in has valles?* Ab his paulum progressus, gravi lapsu cecidit per proclivia ruiturus, nisi eum famuli manus tenuisset. A casu verò alacrior, confir-

firmatiorque surgens: *En*, inquit, *inferni hostis invidiam! Malignè enim fert impius nostrâ operâ has gentes salutem consequi posse. Nil proficiet*. Perrexit ergo ad Indorum sedes ferino propemodum ritu, tuguriis, ac speluncis degentium: inter quos plures quindecim, aut duodeviginti annos nati, nondum Christo nomen dederant: omnes rerum cælestium rudes, prçceptorum ignari. Pœnitebat comites, & viæ, & hospitii, vix præ lassitudine consistentes, ac labore confectos, gestiebat contra gaudio bonus Pastor, deperditis oviculis jam repertis. Quamobrem strenuus, atque infractus, immo somni etiam, cibique oblitus, continuò eas in humeros tollere, cælestibus pabulis recreare: ad salutem necessaria docere, partim salutaribus aquis abluere, partim peccatorum confessione expiare, partim christiano more confirmare: omnes, paucis diebus quibus apud eos moratus est, ad ovile salutis reducere.

VI. Portus Pisci nomen loci est, ac Montis. Agenti illic Antistiti, quosdam servos præruptis procul saxis, ad decem, vel duodecim passuum millia profugos habitare refertur. Quo audito, Martino Rosilio ei curæ præposito mandat, ut ad eos vadat, ac rem diligentius cognoscat. Negat ille id fieri posse sine summo capitis periculo. Viam minimè a feris tutam, nec planè viam, sed per acuta, ac prærupta saxa præcipitium. Tum Prçsul: *Nil tanti*, inquit; *Equidem inveniam viam*. Ac statim illò iter aggressus. Haud pœnituit laboriosissimi eum itineris, cum ad locum veniens, cçlesti planè instinctu se adductum cognovit; quo nimirum periclitanti aniculæ succurreret. Hæc Christianis nondum sacris initiata, in summa vitæ mortalis periodo laborabat, æterna mox caritura, nisi ille opportunus venisset. Venit autem, & postquam pro ratione temporis, paucis eam consolatus Christianæ Fidei elementis instituit, Sacris mox volentem initiavit, eodemque die quo Baptismum recepit vivere desiit.

VII. Aliquando præ itinerum longitudine, atque incommodis passim gravissimis, nec non rerum omnium inopiâ deficere omnino visus est: diuque creditus exanimis, atque alienis humeris in feretro comportatus, dum paucas oviculas segreges ad salutis septa revocare cupit.

VIII. Sæpe in barbarorum terras, Xauxæ, Guancabambæ, Cacapojæ, Mitilenæ, Majobambæ confines, ad quos Evangelii lux deferri a nemine adhuc potuerat, propter cùm horren- Ibidem p. 207.

rendos, & naturâ suâ, & belluarum immanitate saltus, tum incolarum plusquam ferinam barbariem, penetrare primus salutis prçco non dubitavit. Dissuadentibus suis, ac vitæ ipsius metuen-
„ tibus: Non esse timendum, *inquiebat*, hominum ferociam ubi
„ cum Deo Dei res ageretur. Peragendum potius alacri promp-
„ toque animo. Quòd si ea profectione vita ipsa amittenda foret,
„ quale hoc compendium! quale decus! An pro Fidei Christianæ
„ propagatione vitam profundere quempiam pigeret, postqam
„ Dei ipse Filius pro omnium salute toto cum sanguine eamdem
„ profudit? Sævirent barbari, an mansuescerent, utrinque ma-
„ ximum sibi lucrum promitti, hinc eorum salutem, illinc Mar-
„ tyrium suum.

IX. Dominicis quibusque diebus Divinis perfunctus pro Basilicæ valvis ne intus Divinis officiis incommodaret, sellâ, ac pedo Pontificio utens, ad Indos, atque Hispanos propriis eorum Linguis, themate ex Evangelio ducto, sermonem de Fidei mysteriis habebat, de morum disciplina, de rebus ad salutem necessariis, de virtutis pulcritudine comparanda, deque aliis hujusmodi rebus: quem morem non domi solùm, sed et per Provinciam perpetuum retinuit. Nec Dominicis solùm, sed cæteris quoque festis diebus, & quartâ, sextâque hebdomadarum quadragesimalium feriis. Adeoque animarum saluti conducere eas institutiones putabat, ut nil tanti faceret cujus gratiâ aliquando cessaret. Nam Mocone in agro Truxillensi Oppido, quamvis gravissimâ febri correptus a Concione tamen, Divino fretus auxilio, non abstinuit. Quo caritatis ardore morbum ipsum continuò restinxit, evasitque a concione incolumis.

Ibidem p.208. X. Nec solùm sacri Oratoris munus, quod honestatem quandam habere videtur, propriumque summorum Sacerdotum est, obire nunquam prætermisit, sed & puerorum eruditioni operam dare, ac primis Christianæ Fidei elementis formare, quod nihil habet dignitatis, minoresque vix æquis animis præstare Sacerdotes possunt, tantùm Primatem non puduit.

XI. Limæ diebus festis, plerunque pomeridiano tempore unà cum aliquot e Clericorum ordine, pedes ad Aedem Divo Lazaro in Suburbio sacram contendere consuevit, eòque pueros in triviis repertos, mirâ verborum suavitate, ac munusculis invitare ut ibi puerili exercitatione præcipua Religionis capita ipsos instrueret.

XII. In itinere, si qui Christianæ rei rudes offerrentur (inter-

terrogabat enim ſæpe non pueros tantùm, ſed & adultiores gregarios quoſque, & agreſtes) non aliter dimittebat quàm Doctrinæ Chriſtianę documentis eruditos. Pulcrum erat videre Primatem turba puerorum ſtipatum, virgam manu geſtare, eruditoris partes exercere, promptos, gnavoſque laudibus, præmiis ornare: tardos, atque indiligentes aliquando mitiſſimè caſtigare: ſæpius excuſare: blandimentis excitare: promiſſis allicere: omnes amantiſſimus veluti parens complecti, monere ad Dei metum, ac virtutis amorem cohortari. Quòd ſi abeſſe quenquam intelligeret (erant enim nonnulli, quos Chriſtianæ eruditionis vel puderet, vel tæderet, ſe latebris ſaxorum imperviis, ne eò cogerentur occultantes) ipſemet latibula eorum circumibat, repertos blandis ſermonibus captabat, a fuga dein revocatos ſacræ eruditioni intereſſe compellebat, nulli parcens labori, nullis territus periculis.

XII. Ad Clericalem ordinem primùm initiandos ſæpe ipſe per ſe erudiit. Porro ne viri docti ullo unquam tempore deeſſent, quorum operâ evangelica veritas explicari longius citra erroris ſuſpicionem poſſet, quique ad ſalutem animarum incumberent Seminarium extruxit, ex quo multi quotidie Fidei Chriſtianæ propagatores, atque Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeduli conſervatores prodierunt. Ipſemet non paucas diei horas inſtitutioni Auxiliariorum ſepoſuerat, quibus agendi rationem adversus Indicas ſuperſtitiones, barbararum gentium impietatem, morum emendationem experientia tot annorum prudens demonſtrabat.

XIII. Ad hæc, ut Ovium ſuarum voces, & ipſe ſine interprete audiret, & audiretur ab eis ad ſalutis paſcua compellens, *Quicuè* loqui, quæ lingua, ut Peruanis uſitatior, ita omnium ejus Regni difficillima habetur, inter tot maximas, graviſſimaſque occupationes, non minori quàm puer in tyrocinio patientiâ, modeſtiâ, labore didicit: adeoque perfectè aſſecutus, ut in ea natus videretur. Ibidem p. 209.

XIV. Quæ pro concione dicenda erant, non ſeriâ tantùm meditatione, ac ſtudio limabat, verum etiam ſcripto, ac memoriæ mandaſſe dicitur: præſertim cum ſe Indicè loqui expeditè poſſe ex tempore non putaret. Quos omnes, atque alios labores, ſuapte naturâ arduis difficultatibus non carentes, moleſtiæ, tediique plenos, animarum ſalutis ſpes ita allevabat, ut nihil pene laborare videretur. Infinitam proinde multitudinem ad Chriſtianam Religionem a ſacrilego Idolorum cultu atque a

S bar-

barbaricâ superstitione abduxit. Plurimos Christiano nomine abutentes, vitiisque omnibus implicitos ad meliorem frugem revocavit.

XV. Sacramentum Confirmationis, qui minimum centum hominum millibus: qui mediocria decies centenis millibus, qui plurimum terdecies centenis millibus administrasse ferunt. Quòd ut incredibile videtur, non contemnendis tamen argumentis confirmant.

XVI. Quatuor Antistites, innumeros alios minores initiavit, inauguravitque. Campanas, Calices, mensas, atque aras sacro ritu omni tempore plurimas consecravit. Parochos multis in locis constituit, ne Christianæ doctrinæ pabulo diu carere incolæ cogerentur.

XVII. Quotannis in memoriam Dominicæ, Divinæque Caritatis imitamentum duodecim ex egenorum turba lectos in Cœnaculum Domus suæ splendidè paratum, floribus, & odoramentis inspersum excipiebat. Ubi postquam quæ ad rem Divinam ejus diei propria ritè pièque curaverat in Templo, convivium liberaliter instructum suis manibus ministrabat. Ad mutuam deindilectionem dulcissimis verbis cohortatus pedes iisdem abluebat, tergebat, exosculabatur humi provolutus, servorum ritu præcinctus. Tandem vestes singulis, sudaria, argenteum numisma elargitus ab se dimittebat. Quem morem non domi suæ solùm servasse, sed & peregre ubicunque eo die esset.

XVIII. Omnibus denique excolendæ pietatis, amandæ virtutis, acquirendæ salutis, quà dictis, quà exemplis auctor fuit. Quibus in rebus omnem ferè ætatem consumpsit.

XIX. Milliaria plusquam viginti millia magnâ parte suis pedibus confecit. Omnibus omnia factus cum Apostolo, ut omnes salvi fierent. Nullâ re uberiori lætitiâ affici solitus, quàm cum suorum mores ad salutis æternæ rationes compositos esse videret.

XX. Contra summum mœrorem ex perditorum ruina, morumque improbitate semper percepit. Quos ut corrigeret, rectumque in iter reponeret, ubi caritatis blanditiæ nil valebant, austeriori supercilio, justisque animadversionibus non parcebat. Neque enim ferre æquo animo poterat, ut quis propriæ salutis dispendio in Deum crimen admitteret.

Ibidem p.211. XXI. Cum audisset aliquando hominem in proximo conclavi temere per Deum jurantem, misit continuò qui ad se illum

lum adducerent. Tum graviſſimis in eum verbis invehens: *An tu*, inquit, *neſcis in ſe iram Dei laceſſere, qui pejerare nefario impioque ore non pertimeſcit? Ita ne Dei ſacroſanctum nomen in ullo pretio habes? At ſeveriſſimis crimen ſuppliciis te luiturum expecta, ſi quid præterea tale temerario auſu effutieris*.

XXII. In judiciis verò ubi jure jurando opus eſſet non prius juratores accepit, quàm juramenti ſanctitate, perjurii improbitate, Divinæ, humanæque vindictæ obnoxii pluribus verbis demonſtratâ.

XXIII. Cognitiones ſæpe de Clericorum, Parochorum præſertim vita, & moribus capere ſolebat, cùm ne pravis exemplis ſubjectas oves contaminarent, tum ut dignis reprehenſionibus, ac pœnis coërceretur improbitas.

XXIV. Oculatiſſimus ſemper ut ſupremum Paſtorem decet invigilavit, ne Miniſtrorum, atque Auxiliariorum incuriâ ſalus cujuſpiam periclitari poſſet. Inexpectatus enim ſæpe illis ſuperveniebat, quæ ad Baptiſmum, quæ ad Euchariſtiam, quæ ad cætera Sacramenta conficienda, adminiſtranda ſanctè mundèque habenda pertinent, diligentiſſimè ſtatim recognoſcens. Quibus in rebus minimam quanque negligentiam tolerare non poterat.

XXV. Baptizandi formam multos paſſim, quos aptiores cenſebat, docuit, ne in ſubitis caſibus defectu Miniſtri quiſpiam periret.

XXVI. Magnopere prætereà curavit, ut quàm ornatiſſimè ſacræ Aedes haberentur. Pluribus ornamenta ipſe dedit: pietatis enim, ac reverentiæ erga Deum, valida hæc apud rudiores inſtrumenta eſſe ſolent.

XXVII. In ſacros Ritus, aut Pontificum, & Conciliorum decreta peccantes, acerrimè corripiebat. Venerat aliquando in Canchucos, qua in Provincia e Prædicatorum cœtu Vir valde Religioſus Paræciam a Divo Dominico dictam regebat. Is adventu Præſulis audito, ſimul conſuetudinis ipſius primum omnium Aedem ſacram adeundi minimè neſcius, ad octavam noctis horam patentibus Templi valvis opperiri eum perſeveravit. Ut tandem venit, atque Aedem patere apertis foribus conſpicatus eſt (Concilii quippe Limenſis conſulto non licebat, poſt veſperam Templa patere) incredibile dictu eſt quàm ægrè ſe ferre demonſtraverit, quamque graviter de ea re cum Religioſo illo Viro expoſtulaverit, nullâ adventus ſui, aut honoris excuſatione acceptâ. Graviora delicta gravioribus pœnis mulctabat, da-

tis etiam Judicibus a quibus criminum rei punirentur.

Ibidem p.212. XXVIII. Cæterum Sacerdotibus magnum ab omnibus honorem haberi voluit: ab aliquo impune eos contemni nunquam passus est.

XXIX. Eâdem vigilantiâ in sacrarum Virginum Collegiis fartis, tectisque servandis usus dicitur. Ea frequentissimè, atque inexpectatò recognoscens, nequid eò licentiæ impressionem faceret, easque minus attentas in legum suarum observantia redderet. Quoties ex Provincia in Urbem reverti voluit, id quàm occultissimè posset fieri curavit, nocturnâ quiete delectâ: nec ante domum suam ingrediebatur, quàm hujusmodi Collegiis circumspectis, an integra, & ad præscriptum composita omnia essent.

Ibidem p.213. XXX. Qua verò Domui suæ ratione præfuisse putandus qui tantam Ecclesiæ Dei in commune diligentiam habuit? Illam Sanctissimorum Patrum exemplo sic instituit, ut in ea quasi quodam in speculo, quidquid aliis omnibus præciperet, ante emineret, conspiceretur que perfectum, præcipuè verò in ipso.

XXXI. Neminem apud se unquam habere locum pertulit, cujus vivendi ratio ab omni suspicione improbitatis non alienissima esset, atque omnium præterea testimonio laudata. Davidici illius memor, ac æmulator propositi: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Non habitabit in medio Domus meæ, qui facit superbiam, qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum* (*Psalm*.100.)

XXXII. Unicuique munus, certâ agendi lege dabatur: temporibus ad præscriptum Divinis, humanisque officiis attributis. Mandavit Francisco Quinonio Oeconomo, sororis viro spectatissimæ probitatis, ut quàm diligentissimè singulorum Domesticorum mores observaret, inquinamenti suspectos quosque amoveret: an Dei metuentes, an pietatis amantes, an modesti, ac frugi, an constituti temporis atque officii memores, neque enim diligentiæ suæ satis fidebat, probè cognosceret.

XXXIII. Fores domesticas nocturnis egressionibus, atque ingressibus clausas, ab initio noctis custodiri, nullique patere, nisi fortasse ex gravissima, ac necessaria causa, præcepto caverat. Ipsam impudicitiæ suspicionem omnino exulare ab aula sua jussit, nulli flagitio æquè infensus. Exemplis verò suis, morum sanctitate, quotidianâ consuetudine, ita omnes formaverat, ut Religiosa potius censeri familia posset, quàm Aulicorum cœtus.

XXXIV. Ni-

XXXIV. Nihil tam invitus facere visus, quàm arguere, increpare, punire; quibus rebus nunquam uti voluisset, nisi necessaria veræ caritatis instrumenta cognovisset: salutis enim potius æternæ consuli, quàm his connivere delictis.

XXXV. Non minus ei displicebat pœnas irrogare, quàm iis ipsis quibus irrogabantur, calamitateque alienâ plusquam suâ moveri videbatur. Antiquissima sanè illi fuit hujusmodi commiseratio. Nam & ante Sacerdotium, cum Fidei censorem in Hispania ageret, nihil illi acerbius contingere poterat, quàm cum in impietatis adversus Deum, hæreseos, superstitionis, aliisque talibus criminibus accersitos, animadvertendum legibus erat. Contrariis enim quasi medius affectibus angebatur, amore communis naturæ, odio criminum. Illo ad beneficentiam pro ingenio, hoc ne sui muneris oblivisceretur ad vindictam: neutri quidquam abnuere nescius, utrique miro artificio satisfaciebat, ut si fieri posset a punitione criminum reorum salus inciperet.

XXXVI. Damnatos verò rei capitalis, nunquam ad supplicium dum traherentur, spectare sustinuit. His per forum eductis, prospectus omnes ad eos adimi jubebat, nequis domesticorum e fenestris ipsi foro superioribus alienæ calamitatis spectator esse vellet. Quâque unâ ipsâ re opitulari miseris poterat toto eo die penitiori cellâ abditus, humique fusus illorum salutem a Deo multis precibus orabat.

XXXVII. Indulgentiam ut reis impetraret, vel saltem supremis suppliciis eximeret, ubi delicta ex eorum genere non essent quibus salvis juribus ignosci non posset, libenter sequestrem se interposuit, ac sæpe feliciter. Cujus rei supra exemplum habes præclarum.

XXXVIII. Vir ejus Ordinis, qui captivorum redemptioni operam suam collocavit, degener sanè, ac Religiosi hominis, nedum Sacerdotis loco, habitu, nomine, omnium mortalium minimè dignus, religionis damnatus, quòd multa adversus Divinam Fidem dixisset, fecisset, Sacerdotali gradu publicâ ignominiâ dejiciendus, a Magistratibus Fidei aliquando productus est. Adesse Turibio necessarium fuit, quò impiissimis hæretici manibus consecrationem abraderet. In sacram igitur venit Curiam, ubi Fidei Censores, Regius Præfectus, ipsiusque proceres, paratâ refectiunculâ jam aderant eum expectantes, ut cibi aliquid unà prægustaret, sed exorari minimè potuit, et buccellam

cape-

caperet, aut ad mensam conveniret, moratus interea, cæteris corpora curantibus, in inferiori atrio. Post unà simul in forum progressus est ubi judicium agi cœptum, atque ad mediam usque noctem continuatum, quo toto tempore, loco, statuque eodem veluti immobilis perseverare visus est. Nihil cibi, nihil potus admittere. Sententiâ tandem pronunciatâ surgens, indumentoque Sacerdotali ornatus, quę ad se pertinebant in reum ita egit, ut ubertim profluentes ex oculis lacrymæ commiserationem & dolorẽ indicarent: nec Domũ regressus, ab hesterno licèt die jejunus ad corpus cibo reficiendum, sed diurnam Deo officii pensionem exolvendam cogitationem intendit; nullâ præ animi commiseratione refectione acceptâ: vix deplorandi finẽ faciens, pertinacissimi hominis corporis, animæque miserabile exitium.

Ibidem p.215. XXXIX. Deplorabat, & publica mala vitio humanæ ignorantiæ tanquam instrumenta voluptatis ita in morem recepta, ut curari jam vix posse viderentur. Ludi forenses, ubi taurorum venationes summo utriusque salutis periculo magno studio vulgus consectari solet, sic oderat ut ne clam quidem spectare aliquando illos voluerit, aut domesticorum ulli spectatorem sævissimæ voluptatis esse permiserit; ne in salutis discrimine versandi potestatem facere videretur.

XL. Ad extremum quidquid alienam salutem, quam cupidissimè optabat, evertere poterat, hoc arguendo, increpando, obsecrando in omni patientia, ac doctrina juxta Apostolicum monitum submovere maximopere nitebatur. Ubi verò e sententia non succederet, connivendumque inolitæ consuetudini deteriorum metu esset, commiserationis stimulis quasi confossus cæcæ multitudinis æternam ruinam, multis lacrymis, multis precibus deprecabatur.

XLI. Nulla hominum conditio a Turibiana dilectione remota fuit, aut aliena. Non enim in hominibus fortunam amavit, aut beneficia, sed imaginem, ac similitudinem immortalis Dei, quæ quemadmodum in omnibus par est, ita æquè omnes unicè sibi diligendos putabat. Hinc factum est ut nullæ unquam improborum hominum injuriæ, calumniæ, infestationes, veluti quædam in eum irruentia flumina, obruere caritatem illam potuerint. Quin potius adversariorum maleficiis magis impetita, non aliter quàm ventis ignis coortis, magis ardere, atque emicare visa est. Id superioribus exemplis ubi de controversiis cum Cusquensi Antistite, Præfectis Regiis, aliisque

que optimatibus fusè differtum, ita planum existimo factum, ut multis hîc confirmare supervacaneum videri queat. Vnius Testis verba proferre abs re fortasse non fuerit, quibus cæteri omnes Testes summo consensu adstipulantur. Ex propria, *inquit*, „ scientia, multorumque sermonibus mihi satis constat Antisti- „ tem TURIBIUM singulari patientiâ, tolerantiâque ornatum ex- „ titisse. Hinc quo tempore inter mortales fuit, cum sæpe sæpi- „ us a Præfectis, Magistratibusque Regiis divexari multis ac „ variis rationibus contingeret, ut continere se ab ira, atque „ indignatione nemo præter eum posset, ipse tamen (seu jura „ adversus hosce Ecclesiæ suæ tueretur, seu Parochorum nu- „ merum ampliaret, seu rationum tabulas, ac statum publico- „ rum nosocomiorum, sacrarumque Aedium ædificationes co- „ gnosceret, seu Limense Collegium constitueret, quæ omnia „ Regius Præfectus a Sacerdotali jure distrahere improbissimis „ contentionibus nitebatur, adeo ut & Pontificis Insignia e „ Collegii superiori limine aliquando per summam vim atque „ injuriam disturbare non dubitaverit) ipse tamen, inquam, ne „ verbo quidem dolorem, aut iram præsetulit vel exiguam. „ Inter ipsas insectationes Deo gratias agere, injurias quantum- „ vis graves sibi illatas, ultro ac libentissimo animo condona- „ re: omnia alacriter, fortiterque perferre consuetus. Loco „ amplissimi honoris, ac muneris scilicet ducens, hac in re Chri- „ sti Domini Magistri sui exempla posse imitari. Ita Testis.

Ibidem p. 216.

XLII. Et verò Adversariorum suorum salutis non minor illi cura fuit, quàm minę ipsius illis. Eo majori studio eorum dignitatem integram cupiens, quò labefactare illi atque evertere ipsius nomen voluissent. Si quid in illatis sibi injuriis displicere potuit, inferentium piaculum, ac pernicies fuit. Neque enim, ut accipi, sic fieri illas innocenter posse citraque, & Dei offensam, & facientis ruinam.

XLIII. Nullum officii genus erga Adversarios suos unquam prætermisit, ut eos ad æquitatem, benevolentiamque compelleret. Nunquam de calumniis in se excogitatis, confictisque criminibus queri auditus. Mentionum ab aliis cum calumniatorum improbatione fieri coram non tulit. In improbè factis probem voluntatem excusavit. Fortunâ eorum adversâ tristior, secundâ semper gavisus. Pro offensa gratiam referre, maleficia beneficiis repensare, criminationes falsas vitæ sanctitate, atque innocentiâ diluere ejus perpetua cosuetudo fuit.

XLIV. De-

Ibidem p.218. XLIV. Denique qualem Apoſtolus veram caritatem deſcribit, patientem, benignam, nil perperam agentem, quæ ſua ſunt non quærentem, minimè inflatam, minimè ambitioſam, irritari neſciam, nil mali cogitantem, ſuper iniquitate non gaudentem, congaudentem veritati, omnia ferentem, omnia credentem, omnia ſperantem, omnia ſuſtinentem (1. *Corinth.* 13.) talem Turibianam fuiſſe, omnis novi orbis angulus, omnis Provincia, omnes homines, omnes teſtes ignorari non ſinunt.

XLV. Nec verò ſatis Turibio viſum ſi caritatis ipſe inviolata jura ſervaret; niſi etiam ſervarentur ſi fieri poſſet ab aliis omnibus. Hujus rei cauſâ ut ſuam in omnes caritatem effunderet, omnis ejus cogitatio ſemper verſari viſa eſt. Hanc in concionibus, ut mutuam inter ſe haberent omnes graviſſimis verbis inſinuabat. Hanc ubi animorum diſſenſionibus oppreſſam intelligeret, accuratiſſimis officiis relevare, ac redintegrare curabat. Hanc vel minimè lædi non ſine maximo mœrore ferebat.

XLVI. Plures virorum, ac fœminarum Sodalitates pluribus locis inſtituit, ut animi iiſdem pietatis exercitamentis unà coaleſcerent. Nec aliam ob cauſam ſacrarum Virginum Collegia, atque Adoleſcentium Academias tot impenſis, tot laboribus extruxit, niſi, ut convictu, ſtudiis, iiſdem vivendi inſtitutis, unâ inter ſe voluntate, caritatiſque vinculo colligarentur.

XLVII. Alienæ exiſtimationi famæque, ne leviter quidem, detrahi ſe coram permiſit. Quòd ſi aliquando, ut ſolet in menſis convivarum ſermones ad aliena probra evulganda dilaberentur, eos ſermones utilioribus corrigi, vel accerſito lectore piam lectionem induci jubebat. Oblocutiones incœptas, vel inter Principes viros verba Pſalmi *Laudate Dominum omnes Gentes*, ipſe ſubmurmurans præcidebat.

Ibidem p.219. XLVIII. Deferentes aliena crimina, niſi jure ageretur audire recuſavit: delatoribus juſſis rectius, diligentiuſque ea cognoſcere, de quibus alios accuſare vellent, neque enim ea fortaſſe vera, ſed vanis ſuſpicionibus temerèque conficta. Alteri quoque parti aurem ſervandam, nec tam facilè de aliena re judicandum.

XLIX. Ob eandem cauſam litteras ad ſe undecunque miſſas non ante legit, quàm ſcribentis nomen ratum, certumque comprobaſſet. Si quid enim alienæ famæ contrarium contineretur, ab ipſo auctore, ſi opus foret, confirmari poſſe volebat.

L. Negligi pauperes, aut imæ conditionis homines nunquam

quam tulit. Servos si quis Mauros, aut fortunæ nomine, non proprio appellasset, eum acrius objurgare consuevit.

L I. Illud extremo loco non prætermittendum reor Turibii Caritatem, ita omnes cujusvis ordinis, fortisque homines respexisse, ut amantissima libros suos mater.

L II. Jam super nihil esse puto, nisi quod omnium summum est, & caput, in his Caritatis officiis non opes solùm, operam, vires, sed & vitam ipsam prodegisse Turibium. In opere enim, ut post demonstrabo, juvandi gregis sui causâ suscepto, cum cætera omnia jam dedisset, animam suam dare non dubitavit. Majorem hac caritate non esse quis nesciat, nisi qui oraculum Divinum ignoret.

C A P U T IX.

A muneribus accipiendis Turibius *prorsus alienus*.

I. Videri potest fortasse non nemini hac in re Præsul noster religiosior, nisi candorem illius animi vel minimas labeculas metuentis satis habuerit perspectum. At qui levare ad Deum puras manus summa curâ, diligentiâque semper studebat, ne illegitimo muneris alicujus contactu pollui contingeret, omnia æquè abhorruit, atque intacta reliquit etiam legitima. Cap. xiv. p. 252.

II. Nil domi suæ alienum unquam passus, neque operâ alicujus, aut re gratis usus; ne pomo quidem si dono daretur, accepto. Eam sibi legem statuerat omnino servandam, ut ne videre quidem missa ad se munera, nedum accipere vellet.

III. Eamdem servis, ac familiaribus suis sanctissimam integerrimamque legem indixerat, a suorum numero abire cogens, qui vel leviter in illam peccassent.

IV. Locorum cognitione peractâ, Parochos magnopere obtestabatur, ut si quid eis familiares sui damni intulissent, si quid dati muneris accepissent, ingenuè proderent, ut damna si quæ illata essent ante profectionem suam repararentur.

V. Ab eo primùm tempore, quo publica munera administrare cœpit Fidei apud Bæticos Censor, ad vitæ finem ne avellanam quidem nucem dono accepisse fertur: neque alieno convivio interfuisse, quamvis a multis amicis, ne cum iis prandium recusaret, Matrito profecturus rogaretur. In suburbana si quando eorum venit, nunquam exorari potuit ut quidquam acciperet. Ibidem p. 253.

VI. Auxit a muneribus accipiendis abſtinentiam poſtquam factus Archiepiſcopus ſeveriorem eadem in re ſibi legem indixit. Sæpe a Principibus Viris, ſæpe a Religioſis invitatus, æquè recuſavit. Apud Patres Societatis Jeſu Antiſtitis aliquando inauguratione factá tardiori jam die, atque in opere ipſe defatigatior, nullis Religioſorum precibus, nullis Collegarum Antiſtitum, ipſiuſque inaugurati precibus adduci potuit, ut convivio intereſſet.

Ibidem p.254. VII. Muneribus verò ita abſtinuit, ut pauca poma ab homine Religioſo Ordinis Prædicatorum Generali Vicario miſſa, ad eumdem cum gratiis referri, uno vix olfacto, juſſerit. Non ſibi rectè valenti, ſed ægris eas primitiarum delitias dicens mitti oportere. Ne pomi quidem unius a Joanne Capeda familiari ſuo donum admiſit, ut ipſemet Capeda in Actis teſtatur.

VIII. Dominicæ Nativitatis die anniverſario ex Regii Præfecti Aloyſii Velaſquii, ac Procerum Regni convivio, munus aliquando allatum recuſare omnino ſtatuerat: ſed Grimaneſſæ ſororis, cæterorumque familiarium, multis, atque honeſtis rationibus perſuaſus, tandem conſeſit ne allatum munuſculum iis qui dederant remitteretur, eo pacto, ut nihil ex illo deguſtaret, dieque inſequenti munus ad ſe miſſum alio duplo majore compenſaretur.

IX. Uvam alieno anni tempore, rarum munus, fœmina quædam princeps, Ludovici Cordubenſis Conjux, Hiſpalenſis Antiſtitis neptis Turibio miſerat, rata rem per ſe levem raritate ſolùm commendabilem ab eo non recuſatum iri. Contra tamen quàm ſperaverat accidit. Haud enim ita multo poſt famulum ad ſe cum munere revertentem vidit, excuſatione ab eo allatâ, quod Præſul ne ſui officii oblitus videretur a muneribus omnino abſtinebat.

X. Ingai quoque in Oppido a Reguli Conjuge bellariorum nobile munus miſſum rejecit. Neque moris, neque arbitrii ſui eſſe dicens, in Provinciali cognitione cujuſvis munus accipere. Gratias tamen ſe eas agere quas poſſet maximas, pro tali erga ſe voluntate, ac beneficentia.

Ibidem p.255. XI. Antonius Garajenſis Eques omnium ejus Regni opulentiſſimus, famâ tanti Viri excitatus jamdiu eum viſendi cupiditate tenebatur, cumque morte correptus id conſequi non potuiſſet, ſupremis Tabulis Crucem auream, ſmaragdis, pretioſiſſimoque lapillo diſtinctam legavit. Hanc ad eum Hæredes, ad Urbem

bem Guanucum cum venisset, detulerunt; defuncti parentis optimam erga eum voluntatem eo munere significantes. Negavit ille sibi fas esse, aut posse sine culpa rem ullam accipere, quo tempore Provinciali cognitioni operam daret. Itaque illos dimisit. Paucis post diebus Cuncacecam Provinciam peragrantem rursus Hæredes adeunt, supremæ parentis sui voluntati satisfacturi. Orant ne legatum contemnat, in quo ne suspicio quidem culpæ excogitari poterat. Nihil enim parentem suum aut post mortem iniquum obtinere ab eo, eâ largitiuncula velle, aut vivum voluisse. Monumentum tantùm suæ voluntatis id ab eo relictum, ut quanti virtutem ipsius faceret, quem nunquam videre potuerat, intelligeret. Inexorabilem verò Præsulem in suo proposito ubi vident, relicto ibi in mensa munere recedunt. Quo cognito Præsul, non tamen id in re sua esse voluit, priusquam doctissimorum Virorum, an integris juribus conscientiæ fieri posset, consilia explorasset.

XII. Quid quòd nec Breviarium cum Rosario Româ a Purpurato Patre ad se missum sine eodem consilio suis rebus adnumerandum putavit?

XIII. Appositis nunquam vesci voluit, quæ inempta, aut adventitia suspicaretur. In itinere progredi aliquando interjectu fluminis, nocte, solitudine prohibitus, agrestesque decerpere fructus inopia commeatus coactus; ne gratis vel ab arbore aliquid accipere videretur, suspendi in ramis pretium mandavit.

XIV. Quæ a sorore dono mittebantur, nisi ejusdem chirographo pecuniâ suâ empta esse constaret, sibi apponi non tulit. Sin autem, ubi ea recusandi certa ratio non erat, accepta inter pauperculos dividebat.

XV. Per id tantùm tempus, quo loci alicujus cognitioni operam dabat, alienâ, hoc est Parochorum, vivere mensa flagitio carere, utpote jure factum censebat: eâ porro absolutâ, nefas, vel si circa meridianum tempus, aut vespertinum absolvisset: sed ita, ut erat jejunus operâque defessus, aliò statim contendere ubi sibi victum novo labore mereretur. Ibidem p. 256.

XVI. Enim vero ea fuit viri parcitas, præcipuè apud hospites, quæ vix summæ necessitati sufficeret, non quæ famem excluderet.

XVII. Servorum operas ut uberi ipse mercede compensabat, ita abstinere eos ab omni re aliena manus volebat; duplum restituere coactis, qui gratis accepissent a quovis rem, aut operam.

XVIII. Bernardo Alcozerio aliquando mandavit, ut quatuor Sacros lapides ad rem Divinam faciendam ex Oppido Ocros ad Urbem Regum advehi jumentis curaret, uti ea in re servorum operâ ne vellet. Homo mandatorum oblitus Indorum humeris comportari lapides jusserat. Hi ad Oppidum Cupem, ubi Præsul rem gerebat, ubi venissent, isque eos sub pondere laborantes vidisset, ægrè sanè mandatorum negligentiam tulit. Tum quid mercedis pro eo labore dandum esset ab eis sciscitatus, postquam duos singulis denarios intellexit, advocato Alcozerio, gravique increpatione excepto, duplicaret ex propria pecunia bajulis mercedes præcepit.

XIX. Quid quòd nec a puero jumentum, ubi ad hospitia venerat, aquatum, spatiatumve duci gratuitò tulit! Quòd si ob operæ levitatem sine mercede dimitti videret a famulis, e vestimento, ornatuque sui corporis aliquid ipsemet impendebat.

CAPUT X.

Incorrupta in Jure dicundo Justitia.

Cap.xm. p.248.

I. HUjus virtutis lances TURIBIUS ita tenuit suspensas, ut ab æquilibrio suo, nullius unquam, seu vis, seu favor, seu necessitudo, seu simultas, seu pollicitatio, seu minæ, seu potentia, seu quidvis aliud movere potuerit. Ne ab ipsa quidem misericordia, ad quam tantopere dum vixit visus est propensus, adversus justitiam exorari se unquam sivit.

Ibidem p.249.

II. Hæc autem præstantissima virtus amplissimos fines habet. Illa quid Deo optimo maximo, quid hominum communi generi, quid nobis ipsis tribuendum sit, apertè demonstrat, ac mandat. Sed ne longius progrediar, omnem ejus amplitudinem paucis complexus, judiciariæ tantùm Provinciæ TURIBIANAM justitiam spatiis circumscribam. Multa enim supra de Justitiæ Jure, erga Deum, erga se ipsum, erga cæteros omnes dicta; multa etiam in sequentibus dicenda.

III. Plura igitur integerrimæ in judicando Justitiæ, æquitatisque exempla, eaque illustria TURIBIUS reliquit. Etenim cum nihil a quoquam acciperet, turpi placendi, displicendive alicui curâ ita vacuus, atque liber, æquo cunctos habens loco, rectè seu pravè factis præmia, mulctasve decernebat, nullo inter plebejum, ac nobilem, inopem, atque opulentum, nisi meritorum discrimine.

IV. Nec

IV. Nec verò qui justitiæ rationes lædi ab aliis impunè neutiquam ferebat, is cum de rebus interdum suis ageretur, illas neglexit, in re aliena semper mitior, quàm in sua Judex. In Provinciam recens cum pervenisset, quàm virtutis hujus amans esset, exemplo domestico declaravit. Etenim cum petenti Navarcho vecturæ pretium exolvendum esset, pecuniæ verò summas id temporis haberet angustias, ne creditor expectare paucos dies cogeretur, aulæa quæ parietes convestiebant amoveri, ac venire jussit, ut debitum solveretur.

V. In jure dicundo æquissimus juxta atque omnis moræ impatiens fuit. Supersedere diu causis tenuiorum præcipuè, a Judicibus, ac ministris suis nolebat omnino: identidem eos commonefaciens, ne quâ odii, amoris, vel aliûs affectus perturbatione judicia sua depravari paterentur; at Deum præ oculis, fas, & æquum perpetuò haberent. Ab ipso verò jus petentibus aperta semper domus, nulli præ foribus servi, nullum in janua siparium ab accessu excludens. Aures nulli hominum conditioni faciles, intentasque non dedit; solitus etiam prævenire rudiorum, ac timidiorum verba, animum simul addere ad causam dicendam. Ibidem p. 250.

VI. Nihil apud eum gratia; causarum æquitas una valuit: Nihil e reorum mulctis in rem suam unquam convertit: dimidiam earum partem in ædificia ferè Templorum, aut Collegiorum, reliquam ad arbitrium, in opera pietatis, ac misericordiæ conferre consuetus.

VII. De publicis delictis sæviora exerceri judicia jubebat: plures etiam Judices ad ea coërcenda constituerat. Edictum tulit, publicè quotannis a sacris Præconibus enunciandum, quo hujusmodi criminum auctores prodi a consciis præcipiebatur.

VIII. Ipsorum sæpius reorum, aut parentum ærumnas miseratus, postquam in eos sententiam dixerat, ac mulctam exolvere pro delicti modo coëgerat, ejusdem mulctæ parte relevabat. Ita Laymębambensi Parocho, quem bis centum aureis nummis mulctarat, ut eâ pecuniâ opem parenti in summa egestate ferret roganti, annuisse dicitur. Ita Melchiori Ruizio homini tenuissimæ fortunę filii damnatione consultum. Is Alphonsus Bonifacius nomine, Sacerdotio simul apud Caxamarquillam fungens, simul sordidissimæ negotiationi, ut conjici potest ex pœnę genere studens, gravissimè in sacras leges peccasse convinctus, mille aureis nummis mulctatus a Turibio fuit. Armentum quo-

quoque mille boum, Equarum quadringentarum, mularum centum quinquaginta, Equinorum pullorum decem ademptum,
Ibidem p.251. ac parenti concessum. Ita a Jacobo Fernandio ducenis nummis aureis, quòd aliena jura turbasset, plexo, cum ille ab ea sententia provocasset, nec tamen vicisset post annos duodecim (ita in Actis: biennium in vita Italica) senatusconsultum in se per summam vim, atque injuriam scriptum, quòd in stipendiis regiis dispensandis ęquitatem non haberet, ex vultu recognito, jussam exigi pecuniæ mulctam mandavit, nisi judicio provocationis absolutum se demonstrasset. At homini provocationem infectam relinquere se iniquâ fortunâ adactum causanti, libello supplici veniam efflagitanti, ac præ animi ægritudine pene in vitæ discrimen adducto (etenim præterquam quod in tenuissima re versabatur, filias nubiles Castellæ binas se quoque habere affirmabat, quarum dotibus eâ pecuniâ ademptâ, nihil omnino esset super) etsi non habuit continuò fidem Pręsul donec an quæ ille adducebat vera essent certior fieret, ubi tamen rei veritatem cognovit, postulationi annuendum putavit, eo pacto ut judicio prius pecuniæ solutione satisfaceret; deinde in collocandis tantùm Virginibus, eâ receptâ uti fas esset.

IX. Illud quoque cum justitia, quòd cum Caxatambi Templis curandis ea pecunia jam addicta esset sententiâ; ne propterea Religioni quidquam detrahi videretur, ex sua pecunia tantundem iis assignari voluit.

X. Eamdem erga damnatum Clericum humanitatem adhibuit, postquam enim pœnam luere pecuniariam coëgit, ad ipsius sorores, quas in quodam Gallęciæ oppido dotali re carentes habere se dixerat, pecuniam transmisisse fertur, quâ honestè in matrimonium collocari potuere. Hoc pacto Justitię, ac Misericordiæ ex æquo satisfaciębat.

CAPUT XI.

In Jure Ecclesiastico, dignitateque propugnanda ineluctabilis animi fortitudo.

Cap. xv. p.257. I. ILLIUS haud ignarus sapientissimi Regis præcepti: *Noli quærere fieri judex nisi valeas virtute irrumpere iniquitatem, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua (Ec. 7.)* omni sẽper contentione, iniquis hominum potentium

tium ausis se se intrepidè opposuit, ac pro æquitate, ac jure pugnavit. De hac ejus virtute omnes testes lucluentissimè affir-
„ mant. Vnius verba sunt:Se nosse,ac perspexisse in eo viro for-
„ titudinem, atque constantiam singularem, quidquid provi-
„ dendum, agendumve judicaret.Nullis eum humanis causis,
„ aut rationibus moveri:quippe qui Decreta Tridentini Concilii,
„ Apostolicarumque Constitutionum scita quidquid ageret, ju-
„ beretve, semper ante oculos haberet proposita. Vtque sum-
„ mâ erat animi demissione in summa dignitate prædītus, ita
„ ejusdem dignitatis gravissimum custodem, ac propugnatorem
„ semper fuisse, in qua tuenda, suoque in honore servanda nul-
„ lam Regni Principum, nullam Regiorum Præfectorum, nullam
„ cujusvis alterius rationem habuisse.Nulli rei injustæ assensurum
„ unquam se ne proposita quidem mortis necessitate, dicere soli-
„ tum:Ecclesiæ jura succumbere minimè oportere: neque Di-
„ vinæ voluntati,& obsequio neque rationi adversans quippiam,
„ aut alienum committendum.Fuisse itaque sacri Juris eximium
„ defensorem,summâque diligentiâ,ne Ecclesiastica immunitas
„ læderetur aut Jurisdictionis diminutio fieret cavisse.

II. Subscribit his alter, his pene verbis: Erat Turibius S.
„ Tridentini Concilii, Sacrorum Canonum, Constitutionum,
„ ac litterarum Apostolicarum, Juris, & declarationum Purpu-
„ ratorum Patrum acerrimus propugnator: quas integerrimè,
„ ac diligentissimè observari curabat nullâ omnino indulgentiâ.
„ Ad hæc animi fortitudine, & constantiâ præcelluit, adeo ut *Ibidem p.258.*
„ per medias difficultates, ipsasque maximas, perque omnia
„ obstantia viam sibi moliri non dubitaret, cum de justitiæ,de-
„ que recta sui muneris administratione ageretur. Singularem
„ animi demissionem cum summa gravitate, auctoritateque
„ conjunxit:nulla in re dignitatem imminui, a quovis mortali
„ æquo animo, aut impunè passus. Cum Præfectis Regiis ita
„ semper se gessit, ut dignitate superior. Nil quòd vel turpi ob-
„ sequio, vel trepidâ demissione suæ dignitati ullam vel mini-
„ mam notam posset inurere, ejus in suis obeundis partibus con-
„ stantiam unquam fregit.

III. Tertius Testis:Fortissimè, *inquit*, res adversas, ho-
„ minesque in jura sua irruentes pertulit. Cum Regiis Magistra-
„ tibus pro dignitatis integritate, proque Ecclesiastica congre-
„ di immunitate sæpe coactus. In iis rebus, quæ ad se unum
„ pertinerent, nihil eo demissius, in iis autem, quæ ad Eccle-

siam,

„ siam, ad Pontificiam potestatem, ad decus, ad Concilia, ad
„ Apostolica decreta, nihil erectius, aut fortius: adeo ut post
„ Divum Mediolanensis Ecclesiæ Præsulem Ambrosium extitisse
„ neminem Turibio in Ecclesiasticæ rei propugnatione alacrio-
„ rem, fortioremque facilè mihi persuadeam. Magnum sanè vi-
ri elogium! grave testimonium!

IV. Sed & illud alterius non leve ita affirmantis: Pertulisse
„ Turibium Alphonsum, utpote qui justus, ac Dei famulus erat,
„ multa adversa, atque iniqua probè novi. Haud rarò a Magi-
„ stratibus Regiis divexatus, & injuriis, mediàque iniquitate vi-
„ ctor, atque infractus emersit. Nil tam grave, ac molestum
„ fuit etsi plurima gravia, & molesta subiisse constat, quòd non
„ animi dicam fortitudinem illam expugnare, sed ne ver-
„ bum quidem doloris exprimere in adversarios potuerit. Cum
„ pro auctoritate, dignitateque res fuit, ut cætera mitissimus, ac
„ pauper spiritu, adeo incaluit, ut in hominem alium verti, ac
„ transformari videretur. Exemplum dein tale subjungitur: Ibidem p. 259.
„ Cum Regius Præfectus Montis Regii Comes Limensis Urbis
„ Basilicam adiit, Presul eum Pontificali ornatu excepit. Insi-
„ gnia utriusque Dignitatis præferri jussa; hinc cum Cruce sa-
„ crum Pedum a Sacerdote, hinc Gladius ab Equitum Magi-
„ stro. Hos inter de digniori statim loco excitata contentio
„ est. Neutro itaque alteri concedente, turbari ceptum. Quid
„ rei sit sciscitatur Præfectus. Cui Equitum Magister: Scire, *in-*
„ *quit*, velim jure, an injuriâ primas petam? Ambigebat in re-
„ sponso Princeps, cum Præsul fortiter, ac pro Jure: Injuriâ, *in-*
„ *quit*, ex Cæremoniarum libris, vel si Rex ipse, aut Impera-
„ tor adsit; Cruci enim nostrę Enses vestros, quicunque tandem
„ estis decedere æquum, fasque jubent. Quo audito Pręfectus
„ ne Religiosus non videretur: Et nos, ait, Cruci cedamus,
„ jusso Equitum Magistro lævam petere.

V. Neque illud omittendum, quod a Religioso Viro, ac Sa-
cerdote fide digno, ita cònceptis pene verbis perhibetur: For-
„ titer, *inquit*, pati adversa quoque Turibius consuevit. Nec
„ defuit illi patientiæ exercitium ferè assiduum a Regio Magi-
„ stratu. Garziam Hurtadum Mendozem omnium iniquissimum
„ habuit: pluresque ab eo injurias, & contumelias accepit, quà
„ in Collegii ædificatione, quà in aliis rebus permultis. Novas
„ Paræcias addere, Doctrinæ Christianæ tyrocinia aperire, sti-
„ pendia harum Præfectis designare, ædificia Templorum, res-
que

„ ad valetudinaria pertinentes curare, ab Episcop ali mune-
„ re divellere omni contentione adnitente. Quas injurias quis
„ alius ita æquo infractoque animo devorare potuisset? Quid
„ quòd Insignia ejus familiaria ab eodem Magistratu fœde e
„ Collegii fronte deturbata, proculcata, comminuta! Quid quòd
„ jura ab Indorum suburbio Sancti Lazari aliò coacta transmi-
„ grare, perturbata? Nil tamen perturbatè, aut dixit, aut fe-
„ cit TURIBIUS, in his talibus Regiam sententiam expectans. Ibidem p.260.

VI. Cæterum ubi non in se injuriam, sed in Religionem, aut sacras immunitates illatam vidisset, tunc verò non ferendo tantùm, sed & sua jura tuendo fortiter dimicavit in inferentium contumaciam; censuræ, aut interdicti gladio confidentissimè invectus. Exempla a me satis ampla, atque illustria superioribus libris memorata non est cur hîc repetenda nunc existimem. Hæc pauca testimonia ex Actis, verbis latinis factis paucis, integrâ sententiâ fide rerum compendii, aut idiomatum causâ mutatis protulisse sit satis.

CAPUT XII.

PRUDENTIA.

I. PRUDENTIÆ virtus quæ in rerum vitandarum, & appetendarum scientia maximè posita in omni TURIBII vita, factis, dictis, cum cæteris virtutibus sic emicuit, ut sine ipsa nihil dictum, factumve inveniatur. Naturâ hoc illi insitum, ut omnia circumspectè, pensiculatè, suo tempore, modo, ratione, consilio, nil inconsideratè, nil temere ageret. Multâ tamen exercitatione naturæ donum cumulavit. Et verò haud vulgari prudentiâ munitissimum esse oportuit, qui in vastissimæ Provinciæ administratione, tot Adversariis circumseptus, tot gravissimis negotiis distentus, tot periculis objectus, tot annis tam laudabiliter virtutem, ac dignitatem, ab omni improbitate inviolatam servavit. Cap.11. p.241.

II. Humanarum, Divinarumque litterarum cognitionem, ac Juris utriusque scientiam, assiduo studio diligentiâque ita cōparavit, ut inter doctissimos meritò numerari potuerit. In sacris Canonibus, Conciliis, nec non Pontificum scitis apprime versatus erat.

III. Jus Canonicum, ac Tridentinæ Synodi Decreta omnia memoriâ firmissimè complexus fuisse fertur.

IV. Romanum Pontificem de pluribus rebus in eadem Triden-

dentina dubiis consuluit: liberque editus earum cum declarationibus extat. Jus Canonicum marginalibus notis ab eo locupletatum affirmant Testes.

Ibidem p.242. V. Hominum doctissimorum consuetudinem cum primis amavit; habitusque ipse omnium doctissimus, qui ad eam Mundi oram ab Europa pervenerint. Hinc Decreta illa sanctissima, atque utilissima, uti e suis fontibus ad Concilia dein Provincialia, ac Diœcesana tam sapienter, copiosèque derivata, ut utroque pollice ab omnibus laudari, accipique digna visa fuerint. Hinc judicia illa incorrupta, æquitatisque plenissima, quibus in suorum flagitia animadvertere, virtutis præmiis ornare consueverat. Hinc denique Provinciales cognitiones tanto Religionis auctu, Ecclesiarum emolumento, animarum fructu, vitiorum excidio, morum optimorum propagatione peractæ.

Ibidem p.243. VI. Tenue verò rerum scientia ad bene vivendum, publicamque rem administrandam instrumentum ratus, hoc undique solidissimis fulcimentis juvare, tuerique studuit, cæterarum virtutum auxiliis huc accersitis. Prudentiæ quippe genus omnino inane illud esse non nesciebat, quod in rerum multarum scientia, non in vitæ etiam innocentia, sanctitateque versatur. Prudentiam carnis vocat Apostolus, quam & mortem esse definit. Neque illud verum, aut prudentiæ appellatione dignum, quòd aliis rectè agendi præcepta tradere, ab improbitate avertere, meliores facere potest, seipsum non potest. Quamobrem veræ, optimæque prudentiæ genus, quo & sibi, & Reipublicæ prodesse posset consequi volens TURIBIUS, illud a vitæ suæ, morumque sanctissimâ institutione cœpit, quam prudentiæ animam esse planè intelligebat. Fundamenta hujus Christianæ super solidissimam Divini timoris, atque amoris petram principiò collocavit. Immortale dein odium in omne vitium, scelerumque nomen substruxit. Humanæ ad hæc salutis singulare studium adjecit.

Ibidem p.244. VII. Hujusmodi Prudentiæ genere ornatus TURIBIUS, Sacerdotale munus ita obivit, admirationi ut omnibus esset. Quantumlibet enim rerum agendarum multitudine premeretur, singulis ita suum tempus, locum, modum, curam dare novit, tanquam si præter illam rem nullâ aliâ se urgeri sentiret. Nil temere, nil perturbatè, facto, dicto, gestu agere, cunctis verò ita satisfacere visus, ut nemo aliquid ab eo desiderare, nemo negligentiam accusare potuerit.

VIII. Plura semper rebus præstitit, quàm verbis. Si qua verò

verò in re prudentiæ ſpecimen dedit, in omnibus enim dedit, in promovenda apud barbaros Religione, atque animarum ſalute curanda omne procul dubio mediocritatem ſuperavit. Nullum profectò negotium magis prudentia tractandum, ubi in omnem ſe formam verſare, & ut Apoſtolus loquitur, omnibus omnia fieri, infirmis infirmus, validis validus, pueris puer ſemper eſt uſus.

IX. Eodem die vidiſſes infulâ, ac ſacris fulgentem veſtibus ad aram Deo ſacra facere, e ſuperiori loco graviſſimè concionari, Divinis myſteriis vel abluere, vel inungere, ad ordinem Sacerdotalem initiare, promovere alia plura cum dignitate, gravitateque facere, ac puerorum plebejo agmine circumſtante, ſimpliciori cultu, veluti dignitatis oblitum, gravitatis negligentem humili loco ſedere, prima Chriſtianæ doctrinæ elementa explicare, ac tradere, horum tarditatem aut excuſare, aut excitare, illorum laudare diligentiam, munuſculis incitare, virgâ urgere ſegnes, minitari immodeſtis: inde valetudinaria, carceres publicos, ægrotantium pauperum ſordidos lares, non pædore, non ærumnis permotus intrare, anicularum, plebejorumque querelis, & poſtulationibus aures concedere, eaque omnia præſtare, quorum vix mercenarium Sacerdotem non aut tædeat, aut pudeat.

X. In omnem juvandorum vultum, fortunam, affectum transformare ſe ad prudentiæ exactas leges noverat: *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* (*Rom.* 12.) *& humiliari .... & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati.* (*Philip.* 4.) Ibidem p. 245.

XI. Prudentiſſimus in conciliandis animis vel ſimultate aut odio diviſis, conſiliorum auctor, errantium monitor, ſcelerum vindex, cauſarum judex, ovium ſuarum Paſtor, ab omnibus judicatus: apud ſemetipſum minime prudens erat in iis præſertim rebus quæ ad ſe pertinebant. De ſe quippe præter omnem modum metuens quidquam agere ſine conſilio non facile in animum inducebat.

XII. Cæterum in commiſſi gregis vigilantia quàm oculatus! In ſacrorum Miniſtrorum delectu quàm circumſpectus! in Religionis, ac pietatis rebus quàm ſedulus! Is denique fuit, in quem ſuas omnes perfectiones contuliſſe abſoluta omnibus partibus prudentia videretur.

CAPUT XIII.

PROVIDENTIA.

Cap.xII. p.246. I. HÆc illi duplex a Natura, a Deo. Neque enim solùm ad futura mala præcavenda, bona prospicienda, ac præoccupanda ingenium erat illi sagacissimum, sed & divino spiritu illustratum, ut multo antequam fierent futura videre, ac prædicere posset. Humanam illam Providentiam in omni re habuit familiarissimam, nunquam solitus quidquam aggredi nisi in omnem partem re optimè consideratâ, perspectâ, ac solerti meditatione versatâ, quid boni, quid mali inesset, quem finem habitura esset, quibus adjumentis tractanda, quâ dexteritate incommodis occurrendum, quod tempus ad agendum magis, quod minus opportunum, quæ difficultates emergere, quæ facile superari possent.

II. Hinc tantâ postquam de aliqua re deliberasset animi fortitudine, constantiâque eam persequi pergebat: quippe qui omnes ejus partes ita explorasset, ut nullum obicem non ante vidisset, ac superasset, quàm ad rem manum admoveret.

Ibidem p.247. III. In rebus corpori suo, fortunisve spectantibus, nullam habere providentiam, sed ex Divina omnino pendere. Eam verò summam existimavit providentiam. Œconomis, ac Procuratoribus rem omnem domesticam administrandam permiserat: per eos, quæ ad necessarios, & quotidianos vitæ usus forent humanæ curarentur. Dignitatem animi sui non decere ratus ad hujusmodi vilissimas curas descendere, præsenti cibo, veste, re contentus. In futuros eventus, aut necessitates, non pecuniam, non frumentum, non aliud quidpiam domi superfluum servari voluisse, ea ostendunt, quæ ante de Liberalitate ipsius exposita sunt.

IV. In rebus verò quæ ad Religionem, Dei cultum, animarum æternam salutem, indigentium necessitates, morum reformationem, Provinciæ vigilantiam spectare videbat, nihil eo viro prospicientius, nihil providentius. Quæ Religiosa virorum, fœminarumve familia, quæ bonis artibus excolendis instituta Academia, quæ valetudinaria domus, quæ totâ provinciâ sacræ Aedes, qui privatis ærumnis oppressi, quæ publica res cum religione conjuncta, quæ vidua, quis pupillus, quis ægrotus, quis denique alicui necessitati obnoxius Turibium aut latuit, aut non abun-

abundè ab eo sibi prospectum esse non fatetur? Id factis confirmare supervacaneum est, cum hac de re pluribus agere idem planè esset ac Soli lucem addere.

CAPUT XIV.

Futurorum eventuum præsagitio.

I. Maximum verò huic veluti naturâ insitæ providentiæ e Cælo momentum accessisse satis constat. Quadam enim animi divinatione, ac futurarum rerum præscientiâ se præditum, quantalibet diligentiâ, quæ Viri modestia, occultare studeret, multis tamen locis, Divinâ voluntate quin patefaceret omnino non potuit, quod, etsi alibi demonstratum est, ubi de puero non dum baptizato, deque aliis nonnullis occultissimis rebus ab eo detectis dicebam, confirmare tamen hîc paucis fortasse otiosum non fuerit. Cap. 11. p. 181.

II. Novissimè in Provinciam ab Urbe Regum, ac a sorore sua digrediens, se deinceps ab ea non videndum affirmavit.

III. Eâdem profectione pueros præter morem, nullâ ætatis eorum habitâ ratione confirmavit. Rogatus quamobrem id ita faceret, cum contra præteritis temporibus, exactum saltem septennium voluisset. Necessariò id a se fieri respondit: se enim ad ea loca nunquam amplius rediturum; alios nonnisi post longum tempus.

IV. Pallascæ re administratâ decliviori jam in vesperum die, imbres verò tristiori facie Cœlo non minitante solùm, sed & fundente, discessum nihilominus adornavit, nec ullis ab ejus loci Sacerdote Joanne Glanensi precibus, aut rationibus, nullis Cœli minis, hiemis acerbitate, viarum asperitate, nocte jam ingruente retineri potuit. Omnia paucis eluctatus. Dè mora, jam re peractâ, illic sibi eam non concedi: de cæteris, minas Cœlum mox remissurum, siccumque iter futurum. Nec in præsagio erravit, ab ejus discessu, imbre, nubilo in miram serenitatem conversis.

V. Illud quoque inter ejus præsagia fertur, quod in hominem quendam militarem ad se venientem aliquando ominatus est. Ibidem p. 182. Etenim cum de obloquentem multorum fama tantisper patienter tulisset potius, quàm audire voluisset, denique amentiam hominis redarguens: *Quid*, inquit, *nostra interest aliena carpere? Apage quæso isthæc. Ita ne trabem in oculo tuo non vides, qui in oculo fra-*

lo fratris tui etiam festucam perspicis? Effutire multa temere perseverantem, deque ipsius Christianæ Religionis institutis, ac veritate dubitare se nonnihil etiam jactantem, vehementius, ut par erat, increpuit Præsul, ac tacere jusso: *Crede*, inquit, *si sapis mi homo, quidquid Sancta Mater Ecclesia Catholica firmissimè credit. Altiora te ne quæsieris, alioquin cave a Magistratu Fidei debitas perfidiæ tuæ pœnas ne luas, quas certè lues, nisi Catholicè, & sentire, & vivere diligentius curabis*. Parvi sanctissimi monitoris verba fecit perditæ salutis homo: sed minas non evasit. Paucis enim post diebus Religionis accersitus, ac damnatus igne vitam finire coactus est.

VI. Marco Garziæ adhuc Adolescenti Sacerdotium, ac Sequetepequensis Ecclesiæ Præfecturam, ut alibi mihi dictum, prædixit.

VII. Gaurâ discedens Alphonsum Guerram Sacerdotem supremis verbis allocutus, ulterius invicem se videndi copiam nullam fore affirmavit. Neque se sequenti anno oleum de more consecraturum, sed Quitensium vice sui Præsulem Ludovicum Lopezium. Eventus vaticinium probavit. Sequenti enim anno sub idem ferè tempus majoris Hebdomadæ in morbum incidit, quo impeditus ne suo munere fungeretur, ad Quitensem Præsulem Xayancæ agentem, bidui circiter itineris distantiâ misit, rogans, ut partes sui muneris iis diebus, quod ad olei consecrationem, ac Clericorum initiationem obire vellet. Eodem tempore vitâ decessit, nec a Guerra ulterius in vivis videri potuit.

VIII. In transitu Carasmalis, ut supra fusius expositum, montis asperrimi, & ante Turibium omnino arentis, cum comites siti urgerentur, prandentibus aquæ potum non defuturum recepit. Nec fanè defuit, uberi, ac limpidissimo fonte, ubi nunquam visus fuerat, demonstrato.

IX. Quid quòd nunquam Sagnæ Oppidum, ubi post mortuus est, intravit, quin dicere auditus fuerit: *Exeamus fatali nobis loco?*

X. Pridie ejus diei, quo decumbere cœpit, ad Augustinianorum Collegium Guadalupense in agro Truxillensi a meridie modicæ quietis causâ, dum æstus remitteret, divertit. Mox Alcozerio familiari suo admonente, intermissum iter repetendi jam adesse tempus, e religiosa cella ad locum ubi unà cum sua familia Moderator Religiosus, honoris eum causâ opperiebantur, descendit. Quibus pro hospitio gratiis actis: *Agite jam*, inquit, *Reli-*

Religiosi Patres, bene feliciterque valete. Itineris nobis faciendi hora jam venit. Commodum illi fore, pronâ jam luce, & sperare se, & precari a Deo retulere. *Ego verò*, Præsul infit, *non de hoc itinere loqui volui, sed de alio ex hac ad alteram vitam immortalem.* Et illi: *absit nunc. Voluntati Divinæ hoc, Domine, integrum omnino relinquendum.* Tum Præsul: *Quoniam*, inquit, *in rem præsentem aptè cadit, Exemplum referam, eò vobis futurum gratius, quo domi vestræ natum. In Collegio vestri Ordinis, Vir cæterorum Moderator vitæ sanctimoniâ, annosâque canitie reverendus aliquando fuit. Ubi eò ætatis pervenit, ut ad agendum omnino inutilis videretur, quieti suæ relictus est, datusque ei socius, qui illius curam in omni vitæ usu diligentem haberet. Igitur quadam die in summa mentis tranquillitate, rerumque cælestium meditatione agenti, Virgo Deipara se illi videndam præbens, mortis proximæ obeundæ momentum patefecit: quo jam propinquante, socium senior vocat; ad lectulum suum deduci rogat, in eo tanquam corpus jam jam moriturum sacris remediis procurari. Delirare virum præ senio ille opinatus, Ain verò, inquit, Pater? Nihil his, quæ rogas fieri minus oportet. Ad mensam mecum, non ad lectum venies, cibo enim corpus, quàm supremis sacris curari magis indiget. Cui senior; ut vis, inquit, quando ex obedientia res agitur. His dictis unà discubuere. Corporibus mox curatis: jam verò senior infit, jussa ego tua peregi frater, postulatis tu nunc annue meis. Itaque in lectulum deducitur, in eoque detractis vestibus componitur. Tum sacrum cereum in manus sibi tradi poscit ardentem: ac tradenti socio oculis in Cælum sublatis: Ecquid, inquit, Dei Matrem me vocantem non vides? Age jam verò eundum mihi quò vocor est. Illo respondente, se nihil tale videre, pœnituit senem cœleste beneficium significasse, eadem videre immerenti. Unde & se quodammodo corrigens: fortasse, inquit, oculi mei fallebantur. Quo dicto animam Deo Creatori restituit. Iisdem mihi iterum verbis uti vobiscum liceat, Patres. Agite jam, & vos bene valete. Eundi nobis tempus est.* Atque his dictis abiit. Aegritudo verò quâ postridie laborare cœpit, ac paucis post diebus eâ etiam oppressus est, vaticinii indubitatam fidem comparavit.

Ibidem p. 183.

XI. Jam satis manifestè conjici potest, qualis Turibii nostri providentia, ac prudentia in rebus gerendis semper extiterit, cui præter naturam, doctrinam, experientiam, non providere solùm solerti mentis acumine in futurum, sed & res ipsas futuras, quasi oculis subjectas prævidere cælesti beneficio datum fuit.

CA-

CAPUT XV.

Linguarum genera.

I. TURIBII virtutibus loquendi variis iisque omnino barbaris linguis donum jungere aut abs re judicari potest si perpendatur, a Deo hæc liberaliter non tribui, nisi illis, qui virtutibus meruerunt, ut his beneficiis Deus remuneraretur, aliisque ad exemplum patefaceret illorum sanctitatem. Cum igitur TURIBIUS inter barbaras gentes singulas Nationes illarum linguis, seu Christianâ Fide illas instruens, seu piis monitis rectè vivendi rationem illas docens alloqueretur, inde quoque non obscurè liquet, non vulgares fuisse TURIBII virtutes, quarum meritum ex tam singulari linguarum dono quo ille a Deo cumu-
Lib. II. ca. XXVI. p. 160. latus fuit, cognoscebatur. Porro de hac re exemplum supra exhibui satis luculentum, ubi apud Panataguajas populos, & Religione, & linguâ abhorrentes a TURIBIO res gestas memoravi: quod cui lectum, facilè id sine hoc cælesti linguarum munere, usuvenire non potuisse, is fateri cogatur.

II. Haud equidem eam inficias, quod apud omnes in confesso est, nec memoriam illi optimam, nec singularem diligentiam in addiscendis ovium suarum variis potius, quàm certis vocibus unquam defuisse; multùm quoque valuisse. Nam linguam sanè Quicuam utpote apud plures receptam, ac familiarem inter summas, gravissimasque occupationes, studio ita persequi visus, ut puerili prope exercitatione consequi etiam potuerit. Tanti referre putabat interpretum operâ inter se, gregemque suum non indigere. Verum, ut industriæ, ac labori nonnihil dedemus, nemo tamen dubitat humano id more fieri potuisse, ut tam facile, tam expeditè, tam modico temporis spatio, omnibus sermonis illius, quibus plenissimus est, difficultatibus superatis, verba habere, mirâque facundiâ eloqui potuerit.

III. Quid quòd uni tantùm cum operam dederit, omnium scientiam consecutus fuisse visus est? An ne forte quis sibi persuadeat, pauca sibique valde affinia, ac similia Peruanæ gentis linguarum esse discrimina, uti apud nos Italos, ac propterea unam rectè assecuto, cæterarum facile variantes voces ex sermonis ratione deprehendi? Audiat Religiosi Viri Peruanarum rerum minimè rudis judicium: „ Idiomatum, *inquit*, tam multiplex „ sylva est, ut in his locis, quæ ipse emensus sum, existimem „ plu-

„ plusquam triginta linguas numerari, easque valde inter se „ abhorrentes, & ad discendum difficiles (Josephus a Costa) Neque verò qui hęc scribit tot fortasse loca emensus fuerat, quot Turibius.

IV. Qui igitur sine cælesti dono audire, audirique in tanta linguarum varietate potuisset? Ajunt tamen duabus tantùm publicè usum, Maternâ suâ cum ad Hispanos, Quicuâ cum ad Indos sermonem haberet; cęteras non ita familiariter adhibuisse, nisi cum res omnino posceret. Ibidem p.162.

V. Illud quoque non sine admiratione auditur, ac fertur, ad ignaros Hispani, ac Latini sermonis, Hispanicè, aut Latinè sæpe verba facientem non minus ab Auditoribus exauditum, quàm si eorum vernaculis linguis eos fuisset allocutus. Hoc munus Apostolis olim cælitus impertitum, virum apostolicæ doctrinæ, ac vitæ sectatorem nimirum decebat.

CAPUT XVI.

FIDES.

I. Fides, in Deum, Dei oraculis, mysteriis, promissis, firmissimè nititur, nullâ unquam dubitatione aliò abrepta. Turibii Fides a primis annis ad extrema tempora vitæ, semper eadem fuit, ea nimirum cui vitæ ratio quàm sanctissimè consentanea responderet. Lib. III. c.1. pag. 174.

II. Vera in Deum fides, non in opinionibus posita est, sed in operibus. Rectè factis gravis esse oportet, alioquin, aut mortua erit, aut nulla. Qui enim agat perperam, qui fide didicit factorum suorum vindicem adstare Deum, supplicia malè, præmia bene factis æterna repensurum? Qualis Turibiana fuerit, ex ipsius vita intelligi opinor satis potest, ita nimirum sanctis operibus commendata, ut Turibium eam inter Christianas virtutes in primis excoluisse latere non patiatur. Ibidem p.175.

III. Ex quo enim tempore Deum cognoscere cœpit (cœpit tamen ab ipsa infantia) ipsius bonitatem amare, justitiam metuere, majestati placere, providentiæ fidere, voluntati obtemperare, omniaque ad ipsum referre, ab ipso expectare, pro ipso aggredi velle nunquam desiit: utque ætate in dies, ita fidem in Deum augere visus. Quam cum vitæ sibi magistram, ac ducem semel elegisset, ab ipsa ne latum quidem unguem discedere, ab ea oculos nunquam avertere, vestigia præeuntis fideliter sequi, iisque insistere perseveravit.

IV. Divinæ hujus Fidei ope subnixus ea feliciter pericula effugit in quæ facile ætas incidit, in qua non satis a vitiis & a criminibus sibi cavent, quos Fidei præsidia non defendunt adversus illecebrarum insidias, ac dolosas criminum molitiones. Ejus ductu vitæ genus instituit cunctis admirandum; purum ab omni flagitio, omnibus veræ laudis ornamentis excultum. Nemo eum conspicatus, quin quasi quosdam Divinæ lucis radios perspiceret. Quo factum est, ut simul ac per ætatem licuit, Fidei ipsius Magistratu, omnium judicio dignissimus visus fuerit, homo sacri adhuc Ordinis, togæque expers eo in Regno, Urbe, Gente, apud quam, ut Christianæ Fidei summa ratio est, ita optimus quisque, ac spectatissimus deligitur. Quo in munere Fidei res cæteris omnibus semper præposuit, non donis, non gratiâ, non potentiâ, non aliâ quavis re corrumpi se passus.

V. Juvandæ, ac promovendæ Catholicæ Fidei studium ejus apud omnes notum, ut Limensi Sacerdotio, Pervanâ re tum maximè laborante, omnium haberetur aptissimus effecit. Idem ne gravissimam dignitatem recusaret persuasit.

VI. In Sacerdotio, si unquam aliàs Turibii Fides emicuit. Ubi in Provinciam venit, primum omnium, quæ ad Fidei confirmationem, amplificationemque pertinere videbantur, curare cœpit. Haud aliò Concilia, ac totius ditionis cognitiones, de quibus in superioribus luculenter demonstratum, spectabant.

VII. De Religione ambigentibus, præterquam quod durius eos objurgabat, dignas perfidiâ pœnas minitatus, nisi ambigendi finem facerent, domo suâ interdictum esse voluit. Ex his aliquando unum ad se sub prandii tempus accedentem, antequam deprehenderet, quia pauper videbatur, cibum cum aliis ex familia capere jussit: mox ejus perfidiâ prodita, postquam coram redarguit, multisque, ut ad mentem rediret hortatus est, a se abire coëgit, neu deinceps eò accedere omnino auderet, mandavit.

VIII. Pro Christiana Fide pugnantes ope, atque auxilio
Ibidem p.176. juvare nunquam destitit. Francisco Quinonio sororis conjugi in Chilim cum potestate proficiscenti, viginti mille nummûm militibus sacrum bellum gerentibus donativum dedit. Eorumdem militum uxoribus, liberis, magno numero, necessaria quotidie suppeditabat.

IX. Fidei Præco ad gentes barbaras, & Christiani nominis inimicissimas accedere, Fidemque inferre inter illas non dubitavit:

tavit: pro ea mori per omnes cruciatus non paratissimus solùm, sed cupidissimus.

X. Institutores rudis, minutæque multitudinis in Fidei disciplina, cùm plurimos per Provinciam dedit, tum ipse puerilem institutionem exercere præter sacri Oratoris munus non neglexit.

XI. Mores sui gregis, ut ad Fidei professionem sanctitatemque dirigerentur, summopere elaboravit; vitia ejusdem venenum infatigabiliter divini Verbi gladio persecutus. Rerum Fidei ignorantiam nullibi consistere passus est. Nam præter Institutores teneræ ætatis, Divinique Evangelii præcones, quorum magnam copiam iis erudiendis præfecerat; libros etiam communiori Indorum linguâ conscriptos evulgavit, quibus Christianæ disciplinæ ratio omnis breviter, dilucidèque explicata continebatur; ut quò viva vox pervenire minus potuisset, scripta penetrarent: minusve memoriâ Fidei rudimenta sic elabi possent, frequenti lectione confirmata, quàm aure semel excepta. Hos libros plurimis saluti fuisse affirmant Testes.

XII. Vestigia Peruanæ superstitionis, pluribus adhuc locis hærentia abolere penitus diligentissimè curavit. Iis contaminatos ubi fontes nonnullos sacris ritibus expiasset, vim aquis salutiferam adversus varias ægritudines inde mansisse dicunt.

XIII. Philippi secundi Hispaniarum Regis nomine pecuniariam opem in publica Regni necessitate conferre rogatus decem millia nummûm contulit, hoc tamen pacto, ut in sacri belli administratione adversus Fidei hostes ejus pecuniæ usus esset.

XIV. Quidquid fide credendum propositum est auctoritate Divinâ, sine ulla unquam hæsitatione, incredibili verò studio, ac veneratione prosecutus est. Erga præcipuum Fidei mysterium, Eucharistiam videlicet, mirum in modum affectus pietate fuit. Divini hujus cibi per præpositos populis Sacerdotes diligentissimam rationem haberi volebat, ut sanctissimè servaretur, ne indigentibus deesset. Ministrari etiam singulis per ætatem idoneis stato tempore jubebat. Sacerdoti tarditatem ingeniorum ætati prævalere causanti, nec omnes sibi propterea aptos Divino muneri videri, quibus adultior esset ætas dicenti: *Tardiores*, inquit, *multo ante erudiantur, fiantque diligentiâ Sacerdotum apti ex ineptis.*

XV. Synodo, seu Conventu quovis Sacerdotum coacto, Fidei professionem, antequam agi res inciperet, ab omnibus sin- Ibidem p.177.

singillatim exigebat. Ipse morti jam propior, præter cætera bis, terque summâ alacritate, summâ, uti suo loco dicemus, voluntate professus est.

XVI. Melchioris Monsonis e Prædicatorum cœtu, Viri religione, Sacerdotio, fide conspicui verbis rem claudo. " Aliquando, *inquit*, narravit mihi Præsul Turibius Alphonsus „ itinera a se confecta per Provincias Cacapojam, ac Majobam„ bam, perque Regiones Xauræ, Guancabambæ, & Cocanga„ rai. Insuper multa animi fortitudine, atque alacritate supe„ rata pericula, deque Indo octogenario ad Fidem perducto; „ & sacro fonte expiato. Ostendit præterea cicatricem manus, „ ex vulnere apprehensi rubi, dum per loca abrupta, casu fer„ retur, quò animarum salutis amor, Fideique Catholicæ pro„ movendæ studium adegerant. Qua quidem in re plurimùm „ laboravit, omnesque vires suas contendit. Voluisset ob eam „ causam si Deo placuisset, ubique locorum Christianæ disci„ plinæ rudimenta ipse tradere; Idololatriam, ac superstitio„ nes, quibus Indorum gens obnoxia radicitus summâ, & vo„ luntate, & diligentiâ extirpaturus. Hinc est quòd infinitus
Ibidem p.178. „ pene Indorum numerus, in hac Diœcesi Christianæ Fidei in„ stitutionem accepit, animisque eam altius impressit. Neque „ enim Præsul illius angulum invisum reliquit; quotannis vel „ coram, vel per certos ministros si ipse non posset, fidei erga „ Deum spectatæ, salutisque humanę percupidos, cuncta reco„ gnoscens. Quamobrem spatio quinque, & viginti annorum „ circiter, quibus eam dignitatem obtinuit, jugiter laboravit, „ Templa, atque altaria pene innumerabilia consecravit, qua„ tuor Episcopos, ni fallor, sacris ritibus inauguravit, sacrorum „ vasorum multitudinem incredibilem rite dicavit, muneri suo „ cumulatissimè satisfecit. Nunquam in Indum incidit, quin „ ab eo summa humanitate, comitate, caritate Indicè percon„ taretur, an inter Christianos nomen dedisset „. Ita Monsonius de Turibiana Fide.

CAPUT XVII.

FIDUCIA SEU SPES.

Ca. III. p.186. I. HÆc virtus, cum in omni ejus vita satis appareat, paucis hîc loquendum de illa satius puto. Ex rectè factorum conscientia (quanquam modestissimè de suis omnibus rebus

bus opinabatur) singulari in eum fiduciâ erigebatur ; ea omnia sibi ab ejus immensa bonitate certissimè sperans, quæ non ad æternam modò felicitatem consequendam opus essent, sed quæ etiam ad optimam sui muneris administrationem. Ita Deum optimum maximum respiciebat quemadmodum amantissimum sui, beneficentissimumque Parentem filius, ad ipsius providentiam confugere tum maxime solitus, quoties aliquâ vi, aut necessitate premeretur.

II. Ejus auxilio fretus omnia se posse confidebat, & si maximè ardua, & humanis viribus, & judiciis difficillima. Ubi aut honor Divinus, aut humana salus, aut sacræ jurisdictionis causa postularet, quò magis inclinata res videbatur, eò majori spe cælesti auxilio erigendam, dirigendamque expectabat. Quamobrem despondere animum, aut a consueta tranquillitate, quavis difficultate oblatâ, nunquam abire visus.

III. Cum terræ Principes ac Dynastas adversarios, atque infestos interdum haberet, tum verò Deo res suas commendabat, ei se totum committens. Calumniis identidem, confictisque criminationibus insimulatus, innocentiæ suæ Deum non defecturum certo certius persuasum habuit.

IV. Controversias, quibus cum Regiis Ministris sæpissime habuit, quamvis prævalere vim, ac potentiam juri, æquitatique videret, magno sustinuit animo, sua jura justitiâ fulta inconcussâ fortitudine propugnans.

V. Quot, quantaque in peragrandis Provinciis adiit pericula, celi, hiemis, æstus, viarum, fluminum, solitudinum, ferarum, barbarorum, atque alia id genus sexcenta superius explicata! In iis tamen omnibus, eâ in Deum confidentiâ assurgebat, ut nullo unquam discrimine, quamvis præsenti & gravissimo, illius animus frangeretur. Ibidem p.187.

VI. Quid de vitæ necessariis dicam? Quoties eò inopiæ venit ut deficiente commeatu unde illum peteret, inter vastissimas eremos non haberet? Quoties inter deserta ferarum nocte oppressus; hospitio, lecto, cibo carere, pluvio cœlo, madenti sabulo cubare non summo sine vitæ discrimine coactus fuit? Nihil tamen a Providentia Divina omnia sperantem, unquam formidine illius animum concussit: majori tunc voluptate affici visus, cum rerum tristior facies, metum ac desperationem incutere majorem posse videretur.

VII. Quid quòd eâdem Providentiâ nixus necessaria ipsa cum Ibidem p.189.

cum suppeterent, liberaliter egenis impertiebatur, se omnino negligens, seque totum Deo tradens? Nam unum aliquando panem in itinere longo ac difficili, pauperi dedisse supra diximus, corporis sui jejuni, viâque defessi, oblitum.

VIII. Futuri temporis, aut eventus adeo securus fuit, ut omnem curam, & cogitationem in Deum jactasse credi possit. Et si multa fore mox sibi usui sciebat ad mensam, vestem, lectum, cætera quotidiana, ea tamen in egenos erogabat, quid mox futurum esset sperandum magis a Deo, quám diligentiâ suâ præcavendum existimans.

CAPUT XVIII.

CARITAS DIVINA.

I. QUantâ in Deum caritate Turibius exarserit, facile conjicere poterit, qui ejus res gestas non prorsus ignorat.

Cap. IV. p. 191. II. Pauca hoc loco afferam, eo posita ordine, ut primum locum habeant quæ Deum spectant, deinde quæ Religionem, Jura, cæremonias, demum quæ Ecclesiam Dei respiciunt.

III. Illud primùm satis constat Deum ita perpetuò diu, noctu, quâvis in re habuisse oculis propositum, ut nihil sine illo cogitare, nihil moliri, nihil aggredi, prosequi nihil vellet. Cuncta verò ad ejus voluntatem, obsequium, amorem retulit. Joannis a Rocca Limensis Ecclesiæ Archidiaconi jurati testis hæc verba: Nunquam „ humanis rationibus, causis, auctoritate moveri visus. Ejus „ quacunque de re deliberantis familiare dictum: Quod coram „ Deo salvis legibus Divinis, humanis tuta conscientia sit.

IV. Incredibili proinde cupiditate flagrabat ejus, ut par erat, honoris, & gloriæ amplíandæ, ac promovendæ non in se solùm, sed in omnium animis: illud pro virili contendens, ne Divinæ offensæ usquam locus esset, nec quidquam quod Deo displiceret a quoquam committeretur. De qua re Testis locupletissimus, ac fide dignissimus Joannes Lopezius Vexaranus: Eminebat, „ *inquit*, maximè in Antistite Turibio Divinæ caritatis virtus. „ Etenim Divinæ legi ita vitam suam convenientem semper o„ stendit, ut ne imperfectio quidem notabilis, nedum gravius „ crimen in ea cognosci unquam potuerit. Divini verò honoris, „ atque obsequii ardore ita inflammabatur, ut e Seraphinis ali„ quis cælestibus videri posset.

V. Di-

V. Divinis commentationibus addictiſſimus, aſſiduuſque fuit; inter ipſas enim graviſſimas Provinciȩ curas, quæ plerunque omnem animi ita cogitationem abſorbere, atque opprimere ſolent, ut vix integrum ſit mentem in cæleſtia extollere, ipſe aut cum aliis piè de Deo loquebatur, aut ſecum de illo cogitabat. Tantâ porro caritate in Deum ferebatur, ut illi hærentem quidquam aliud avellere non poſſet: nec mentem aut oculos a Deo in alia vertebat, niſi aut ſuo munere, aut aliquâ piâ neceſſitate obſtringeretur. Ibidem p. 92.

VI. Tempora Divinis, humaniſque curis ita diſpenſaverat; ut licèt cum Deo mente conjunctus, non negligeret quæ ſui muneris adminiſtratio poſtulabat. Hinc non ſine admiratione factum, ut tot tantaque negotia ſimul conficere, tantùm Deo ſimul, ſibique vacare potuerit.

VII. Dies a Divinis auſpicari ſolitus. Poſtquam in Aedem ſacram venerat, ſecretâque ejus parte genuflexus, tribus aut quatur Sacris audiendis adfuerat, diu adhuc orabat, inſuper diurnarum precum penſum perſolvebat. Mox ipſe quoque Sacrum faciebat, cȩleſtem ad ejus diei negotia optimè peragenda opem implorabat: domum reverſus aures advenientium poſtulatis accomodabat ſi qui ad eum conveniſſent, ſi minus intra cubiculum lectioni, ac rerum agendarum ſtudio vacabat.

VIII. A prandio poſt meridiem ferè duas horas dilato, ad Angelicæ Salutationis veſpertinæ ſignum adeuntibus aures præbebat: mox duas, treſve cubiculo abditus horas orationi dabat. Dein familiaribus Clericis accitis matutinas preces ad horam ſimul perducebat. Demum cœnulâ abſtemiâ, hoc eſt modico tantùm pane, & aquâ refecto corpore, iterum ad orationem ſecedebat, partim mente, partim voce conceptam: nam quotidie bis officium Defunctorum ac B. Virginis, aliaſque pias preces trium ferme horarum ſpatio continuatas recitare illi moſ erat. Quem morem tenaciſſimè domi, peregre, ſummâ religione ſervaſſe fertur. Eo vero tempore a nullo interpellari, aut adiri volebat, non hominum, non rerum gravitatem tanti faciens, ut propterea a rebus Divinis ſe avocari pateretur. Circa tertiam noctis vigiliam, ut ſomni aliquantulum caperet, a famulo monendus erat. Ibidem p. 193.

IX. Dies nunquam dormientem; occupatum ſemper in Divinorum contemplatione invenit.

X. Sacrificium quotidie Divinum ubicunque tandem eſſet, ut ut valetudine affectus, & facere, & dum fieret intereſſe conſue-

fuevit. Quamobrem fine facris veftibus, neque afperrimas montium folitudines adiit. Animo nonnifi apparatiffimo rem Divinam tractabat, eâque peractâ, diu in gratiarum actione, mente in Deum defixâ permanebat.

XI. Iter meditabundus ferè agens plus cœli animo, quàm terræ paffibus metiebatur: ad viarum difficultates, & pericula minimè attentus; non pervagari huc illuc oculis, non rerum, aut locorum fpecie capi, non ex familiarium confabulationibus levamentum petere.

XII. Ita Dei Caritate inflammatus videbatur, ut vultus etiam fcintillis emicaret. Nec defuere, qui in ejus fronte fideris quandam fpeciem ardere inter ea potiffimùm caritatis officia, quæ in abluendis pauperum pedibus quotannis Chrifti Domini imitator obibat, cum admiratione fufpexerint.

XIII. Caritate in Deum Angelos pene æquaffe omnes ferè teftes confirmant. Quam quidem ex Divinæ familiaritatis confuetudine proficifci folere, facrarum litterarum auctoritate, & exemplis fatis perfpicum eft.

XIV. Haud dubium, quin Deum toto corde, totâ animâ, totâ mente, totis viribus ex caritatis præfcripto femper dilexerit. Quippe nihil in rebus, nihil in corpore, nihil in exiftimatione, ac fama, circa quæ bonorum genera, cor, anima, mens, vires mortalium maximè verfantur, tam carum habuit, quòd propter Deum abdicare, atque contemnere non femper effet paratus. Immo verò re ipsâ omnia præ Deo contempfit, domum, patriam, parentes, propinquos: Opes pauperibus eas dilargitus: Corpus laborum patientiâ, ac voluntariis pœnis conficiens: Animam martyrii cupiditate exæftuans: Famam ab æmulis lacerari falsò vix curans, contumeliis affici gaudens: Vires denique omnes, nihil fibi aliquando parcens, nihil quod Deum velle fciret, non aggredi audax, vel cum vitæ, omniumque rerum jactura.

Ibidem p. 194.

XV. Qui illius confcientiam moderabatur Francifcus Molina Sacerdos Truxillo oriundus ita de hac Turibii caritate Divina teftatur: „ Quo tempore apud eum fe verfatum, nam a facris „ confeffionibus fuiffe ille fe dicit, animadvertiffe in homine fin„ gularem Divinæ caritatis ardorem, adeo ut omnis ejus cogita„ tio in hac una re verfari videretur, ut Divinæ Majeftatis honor „ omne augmentum, diminutionem nullam acciperet, a qua „ caritate neminem alienum effe, voluiffe maximopere curando „ ut ad eam omnes quos videbat perthaeret. Dininarum inju„ riarum fortiffimum vindicem.

XVI. Di-

XVI. Didacus verò Moralius Sacerdos, ac testis æquè gra-
„ vis hæc habet „ Eo omnia animi fervore pertractabat, ut divi-
„ no spiritu agi, afflarique dubitaret nemo, mirarentur
„ omnes. Summâ erga Jesu Christi Domini nostri mysteria affi-
„ ciebatur pietate. Quid quid ageret Divinam opem maximâ con-
„ fidentiâ implorabat. Decretorum, ac Litterarum ejus clausu-
„ la una hæc, & perpetua: Quod conscientiæ bene vertat: Deo
„ in obsequium cedat. Illud totâ animi contentione cunctis in
„ rebus providebat, ut Divinæ Majestati reverentia, atque honor,
„ ut par est, haberetur. Quamobrem omnes ad Divinam servitu-
„ tem cohortabatur, brevitate voluptatum, ac vitæ hujus mortalis
„ propositâ, æternæ spe gloriæ erectus, caduca quæque aspernari:
„ corporis incolumitati nihil studere: ad animæ verórationes, ac vi-
„ tæ perfectionem, quidquid conduceret, illud quamvis arduum,
„ quamvis difficile summâ alacritate aggredi. Res adversas e-
„ tiam gaudens tolerabat, Deo gratias agens, summâque in eum
„ fiduciâ confirmatus. Divinæ caritati semper vacabat: omnes
„ simul eâ incendere conabatur. Audivi egomet nonnunquam
„ in hominum corona exclamantem JUDICIUM, ÆTERNI-
„ TAS, INFERNUM! Quibus verbis timorem circumstantibus
„ incutiens, illos ad amorem Dei vehementer impellebat. Hoc
„ se in Hispania ab insigni Divini Verbi Præcone, nomine Lupo
„ didicisse ajebat. Mox pluribus interpositis: Frequentissimus
„ hic ejus sermo LAUS DEO; quo omnes ad se venientes saluta-
„ re solebat, atque ad rei cujuslibet exitum uti.

XVII. Addit Joannes Roblensis: Incredibili animi moero-
„ re afficiebatur, quoties scelus a quopiam perpetrari intellige-
„ ret. Peccantes paternâ caritate increpabat: eos vultu lacry-
„ mis perfuso, ad pedes demissus orans, atque obsecrans, ut ab of-
„ fensa Divina abstinerent. Illud quoque affirmabat. Mori se,
„ quàm levissimâ culpâ fœdari malle.

XVIII. Ad hæc accedit Religionis, Legum, Cæremonia- Ibidem
rum studium, & cura pene incredibilis. His enim neglectis nul- p. 195.
lum caritati locum, aut esse in homine Christiano, aut esse posse
facile quisque judicabit.

XIX. Statim ab infantia Religioni se addictum Turibius o-
stendit, suaque secum Deo deberi, cultu, quem ætas illa ferre
poterat professus.

XX. Mox adultiori ætate, ac judicio sibi ab omni Dei offen-
sa cavere, sacras expiationes frequentare summâ cùm corporis,

tum animi reverentiâ, Divinis rebus interesse nihil de iis alienum, nihil humile, nihil non sanctissimum sentire.

X X I. Ad hæc omnium studiorum suorum rationem, omnem vitæ ordinem ac modum in Religionis Divinæ amplificationem, tutelamque dirigere.

Ibidem p. 196. X X I I. Denique Reipublicæ gerendæ jam maturus Magistratum nullum accipere voluit, nisi ubi Religionem juvare, Divinamque rem promovere se posse speraret. Caritatis quippe Divinæ ardor ad hæc quàm sanctissimè præstanda illum adeo incendebat, ut ea omnia maximè vellet quæ Deo amato placere, quæque ad ejus cultum, & honorem spectare intelligeret. Neque verò satis ei videbatur eum a se coli diligique, nisi eodem planè modo ab aliis quoque coli, ac diligi curaret. Hinc ad ejus Religionem, & cultum cæteros quosque accedere cupiebat, quod ut consequeretur, per medios eam hostes et barbaras nationes invicto animo inferebat.

X X I I I. Nec minori cupiditate flagrabat TURIBIUS, omnem Religionis labem ab universæ Provinciæ suæ finibus, totoque terrarum orbe propulsandi; ut Deo cultus ubique summâ sanctitate, integritateque haberetur.

X X I V. In Religionem crimina majori odio prosequebatur, gravioribus suppliciis vindicabat. Divinum nomen a juratoribus usurpari non nisi sanctissimè, gravissimâque causâ in judiciis, ferebat: nedum execrabiles in id contumelias impiè jaci impune permitteret.

X X V. Aedes sacras splendidè ædificari quàm maximè fieri posset, ornatèque instrui volebat. Plures ipse suâ pecuniâ, & erexit, & exornavit.

X X V I. In rebus ad Divinum cultum spectantibus, nihil æquè odit quàm sordes. Decorem Domûs Dei maximè diligebat.

X X V I I. Dies festos eos maximè, quibus Dominicæ Passionis annua memoria recolitur, præcipuo cultu agi curabat. Per eos quippe dies vix parum panis, & aquæ frigidæ corpori concedens, animum, vires in omni religionis, ac pietatis genere exercebat, in eo totus ut Divinis Misteriis piè excolendis suo in Deum amori obsequeretur, aliosque ad hæc eadem præstanda suo exemplo induceret. Hæc omnia Testium verbis dicere, & confirmare, fuerit fortasse majoris operæ pretii. Sit primum Sanctis Abulensis Viri a pueritia apud TURIBIUM educati testimonium.

X X V I I I. „Se, *ait*, animadvertisse in TURIBIO studium Divini ho-

„ ni honoris non exiguum, quippe qui nunquam permitteret, ut
„ coram se quisquam juraret. Si quando verò juratores admit-
„ tere judiciali causâ cogeretur, multis eos, ac gravissimis ver-
„ bis præmonebat, jurisjurandi religionem, pejerandi impro-
„ bitatem, pœnas etiam Divinis humanisque legibus in pejeran-
„ tes constitutas diligenter attenderent. Templorum honesta-
„ tem, atque ornatum semper curavit, quòd in Dei, ac Domini
„ nostri laudem cederet. Mandabat sacras vestes ad Sacerdotum,
„ atque altarium cultum comparari. Sicubi res ita tenues essent,
„ ut id a Parochis fieri non posset, vasa argentea, atque inaura-
„ ta, eleganti artificio confecta quæ secum ab Europa convexe-
„ rat, pretio singula ducenorum ferè aureorum nummûm, unde
„ calices, patinæ, urceoli, Cruces, quæ passim e ligno erant, ex ar-
„ gento conficerentur donabat. Si quid pecuniæ ad Templorum
„ sarta tecta sepositum intelligeret, in eorumdem ornatus, ac in
„ alia necessaria impendi mandabat. Itaque Ecclesiæ acerrimus
„ defensor extitit. Optavit quàm splendidissimè res ejus adm-
„ nistrari: Symphoniacos etiam ex Indorum genere adesse, qui Ibidem p. 197.
„ psallendi modos, atque artem pueros, cum legendi scribendi-
„ que notitia docerent, quos pauperes ut Divino cultui addictos,
„ quadratis pileolis, aliisque ad sacrorum ministerium pertinen-
„ tibus instrui jubebat.

XXIX. Addit Andreas Dias Canonicus Limensis Ecclesiæ, ac Juris prudentiâ clarus: Operam perquam diligentissimè de-
„ disse ut divina officia summâ curâ peragerentur, servatis ada-
„ mussim iis, quæ in libris cæremoniarum, Pontificali, Rubricis,
„ tum Missalis, tum Breviarii constituta leguntur. Sacris verò
„ Imaginibus, Aedibus maximum cultum, & venerationem ha-
„ buisse: ab offensa Divini Numinis, quæcunque illa tandem es-
„ set, cavisse: laudem, & gloriam eidem comparare semper stu-
„ duisse.

XXX. Joannes Cepeda Regii Sacellarii dignitate vir præter cętera insignis: Divini, *inquit*, cultûs studiosissimus fuit, quip-
„ pe qui nihil aliud tam seriò agere videretur, quàm ut Pontifi-
„ cales cæremoniæ, unà cum Missalis, ac Breviarii præscriptis
„ regulis, a se aliisque omnibus exactissimè servarentur. Tem-
„ plorum verò decorem, ornatum, cæteraque ad rem Divinam
„ splendidè pertractandam necessaria negligi minimè patiebatur.
„ A salutatione Angelica vespertina ea jussu ejus claudebantur.
„ Sacram suppellectilem, altaria, vasa sacra in iis desiderari non

 fere-

„ ferebat: quæ ne deessent pluribus locis, suâ operâ, ac sumptu
„ confecit.

XXXI. Mauritii quoque Rodriques testimonium non contemnendum: „ Sex, *inquit*, noctis horas divinis commentatio-
„ nibus totas impendebat. Interdiu cùm in expediendis negotiis
„ versabatur, quæ Provinciæ administratio afferret, tum in Ho-
„ rariarum precum recitatione, atque in aliis pluribus exercita-
„ tionibus multum temporis collocabat. Quotidie sacris ope-
„ rabatur in Basilica: quibus peractis sub Templi testudinem se-
„ cedens, alios sacris operantes spectabat, summâ pietate Divi-
„ nam sibi opem implorans. Vbi duas tresve horas morabatur,
„ Sacerdotes observans, an in re Divina conficienda a cæremo-
„ moniis præscriptis recederent. Quod si contingeret, eos ad se
„ deinde acciri jubebat, erroris humanissimè admonendos. Sa-
„ crificium in domestico Sacello fieri, ne valtudinis quidem cau-
„ sâ malæ affectæ pertulit: sed aut ægrè per se incedens, aut servo-
„ rum operâ adjutus in Templum se conferens ibi Sacris aderat.

XXXII. Hæc aliaque hujusmodi plura ex caritate quâ Turibius in Deum flagrabat profecta, quisque rem attentè perpendens facilè affirmabit. Qui enim verè Deum diligit, nihil, quod Dei est negligere, nihil summâ diligentiâ curare non potest.

XXXIII. Nec minus amoris curæque illi fuit in Sanctam Romanam Ecclesiam, quam ut Matrem piè obsequens filius summâ semper est observantiâ prosecutus. Quidquid enim ab illa constitutum observandumque cognoscebat, promptâ obedientiâ exequebatur, utque id ipsum ab aliis fieret omni ope curabat.

Ibidem p. 198. XXXIV. Pontificum scita tanquam Dei ipsius auctoritate lata præterire aut negligere nunquam ausus. Ejus Capitis se se membrum semper professus, a quo nec dividi, nec dissentire unquam, parere verò, perque omnia sequi necessarium putavit.

XXXV. A Romanæ Ecclesiæ Consultis, Legibus, Decretis, Conciliis, ne latum quidem unguem discessit, nisi ejusdem summi Moderatoris privilegio eximeretur (multis enim eum cùm propter longinquitatem locorum, tum propter personæ dignitatem Pontifices privilegiis exornarant) Præcipuum verò studium adhibuit in iis, quæ in sacris Juribus, aut Tridentina Synodo jubentur. Ea enim omnia, ut perhibent, etiam memoriæ mandaverat. Tridentinam semper in sinu habuit, ejus lectioni temporis particulas subsecivas, aliisque occupationibus vacuas impendens, ut firmius memoriæ imprimeret. Si quid in ea non

ita

ita perſpicuum videretur, quod explicatione indigeret Romanum de ea re Pontificem conſulebat. Omnes verò animarum curæ Præpoſiti, ut accuratiſſimè ejus decreta ſervarent ita curavit, ut in eos non leviter animadverteret, qui non ſolùm in ea quippiam peccaſſent, ſed apud quos non ea reperiſſet.

XXXVI. In iis nunquam diſpenſationibus uſum ferunt, quamvis homines nonnunquam auctoritate, meritiſque inſignes poſtularent: id in ſacris Ordinationibus ſervatum inprimis voluit. Iiſdem adductus Seminaria Clericorum ædificavit: Collegia ſacrarum Virginum erexit: ſacras Aedes, Sacella, ſodalitates plures inſtituit, dedicavit. Concilia præterea habuit, Provincialia tria, Diœceſana tredecim, pluraque habuiſſet, niſi Gregorii XIII. privilegio Tridentinæ Conſtitutioni nonnihil quod ad tempus prorogatum fuiſſet. Quippe ei concedebatur, ut Diœceſana in biennium, Provincialia in ſeptennium differre poſſet. Quo privilegio tantâ religione uſus eſt, ut quamvis leviuſcula, aut nulla eſſent negotia comitiorum coitione digna, plurima verò incommoda, cùm ſibi iis temporibus Provinciam ferè obeunti, tum Patribus difficili, longoque itinere conventuris occurrerent, ac deterrere viderentur, nihilominus ea & indixerit, & confecerit, tantùm ut ſacris conſtitutis pareret. Ibidem, p.199.

XXXVII. Ex his cui caritatis in eo Divinæ magnitudo obſcura aut dubia eſſe jam queat? Nimirum nullum illius indicium evidentius (ſiquidem oraculis Divinis, atque Apoſtolicis fides eſt, quæ maxima eſſe debet) quàm mandatorum obſervantia, ac ſtudium. Ex ore illud veritatis: *Si quis diligit me ſermones meos ſervabit* (*Jo.* 14.) Et illud æquè: *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit mendax eſt, & in hoc veritas non eſt. Qui autem ſervat Verbum ejus, verè in hoc Caritas Dei perfecta eſt* (1. *Joan.* 2.)

CAPUT XIX.

In Virginem Dei Genitricem TURIBIANA *pietas.*

I. SECUNDUM Deum Divinam Genitricem MARIAM Virginem ſummo ſtudio, ac pietate ſemper coluit TURIBIUS. Ad hunc porro in Deiparam cultum, quæ facere videbantur, Hyppolitus Marraccius frater meus, in Antiſtitibus ſuis Marianis, ea decerpſit, ac diligenter executus eſt. Quamobrem eadem preſſius hîc reddere paucis additis ex Actis, ſatis eſto. Lib. II. C. XXVII. p.163.

II. An-

II. Antiquissimam illi, hujusmodi fuisse pietatem illud satis ostendit, quod adhuc adolescens, dum Vallisoleti disciplinis operam dabat, pustulâ manum molestissimâ occupante remedium ab ipsius Virginis Imagine, cui a Sacrario nomen, & quæsivit, & ratione planè mirabili invenit.

III. Diurnum præter alias pias preces Officium ejusdem parvum semper persolvit, etiam postquam ad amplissimæ Provinciæ Præfecturam evectus, rerum gerendarum multitudine, gravitateque obrui videbatur.

Ibidem p.164. IV. E Limensi suburbio Effigiem B. Virginis cognomine Capocavanam, quæ multis miraculis clarere cœperat, in Basilicam Urbis nobilissimam honorificentissimè transtulit: ubi insigni Sacello extructo, sodalitate simul Indorum hominum, quę ejus cultui addicta deserviret, institutâ, in Virginis cultu suas potiores delitias constituerat. Plures diei horas inter Divinas preces ibi traducere: sacris mysteriis operari: sacris Ordinibus initiare; Christianis auctoramentis confirmare solitus.

V. Nec minori amplitudine in augustissimo Deiparæ Templo apud Guadalupas, quo loco divinitus de vicina morte admonitus est, ædiculam condidit ornatu, ac censu splendidam.

VI. Ad hęc Collegii Sanctissimæ Deiparæ Virginis Sponsi Josephi Virginum Discalceatarum, sub auspiciis purissimæ, atque Immaculatæ ejusdem Virginis Conceptionis auctorem eum fuisse Joannes a Rocca testis gravissimus prodit.

VII. Præterea Divæ Clarę Collegio magnificentissimè extructo, Imaginem illuc Deiparæ Virginis, famâ miraculorum illustrem, cui a Pegna Franciæ cognomen, transferri ex agresti, humilique ædicula, quò honestius, sanctiusque coleretur jussit, ut in suo testimonio Christophorus Ortega est auctor.

VIII. Denique nocturnis itineribns defatigatus, dum Provinciæ res invisit, Sacerdotes domesticos, ac famulos omnes sibi adesse volebat, ut unâ cum illis Litanias Beatissimæ Virginis decantaret. Qua de re Didacus Moralius in suo testimonio: „ Dum „ Malam, *inquit*, proficiscimur, offusâ nocte per iter satis asperum, acclivitate arduum multa Præsul Noster perpessus est „ mala. Ibat verò Divinas laudes jugiter versans, ac Deiparæ „ Virginis Litanias pręcinens. Cui Religiosus Vir Melchior „ Monsonius, qui mecum simul venerat,& Capeda succinebant. „ Videbamur autem nobis Angelum audire canentem; adeo ut „ laborem itineris nullum sentiremus.

IX. Om-

IX. Omnes erga eamdem Deiparam affectu pietatis inflammare ſtudebat, ad Roſarii, & Coronę ipſius cultum, ac recitationem cohortari ſolitus.

X. Sodalitia quoque Indorum in Oppidis, ac Pagis ſub Virginis Deiparę auſpiciis plura inſtituit.

XI. Exilire gaudio ſolebat, cum viſitationis causâ in montes eundum erat, propoſito ante oculos Dei Matris exemplo Elizabetham inviſentis, de qua illud: *Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione &c.* (*Luc.*1.) Quę verba cùm ſuaviſſimè repetebat, tum pulcherrimis concionibus exornarat.

XII. Deiparę virtutes nunquam ſuſpicere, nunquam imitari deſiit.

CAPUT XX.

Corporis, atque Animæ Virginalis integritas.

I. OMNES pene Teſtes rite ſanctèque jurant ab infantia omni tempore ita ab ipſo ſervatam, ut omni impurę labis inquinamento caruerit. Lib.III. Ca xxI. p.298.

II. In ipſo juventæ lubrico, inter profligatæ pudicitię adoleſcentes incontaminatum virginei pudoris florem non ſine admiratione ſervaſſe ſupra jam diximus.

III. Ita verò in omni vita ſe geſſit, ut omnem contrahendę Ibidem p.299. labis occaſionem procul habuerit. Nullius familiaritate, niſi probiſſimi uſus eſt. Inquinatorum conſuetudinem ſibi interdixerat. Non turpitudinem ſolùm, ſed & nomina ipſius apprime peroſus. Ne in improborum amicitiam fortè per imprudentiam incideret, ab ipſa pueritia, ſolitudine delectari cœpit, cautè ſibi timens a periculis in quę facilè incurrunt non pauci, quibus non eadem attentio. Otium cupiditatum malarum artificem in primis nequiſſimum, vitę ſuę adrepere nunquam ſivit: tempus inter Divinas, humanaſque res ita partitus, ut nihil vacaret, nihil efflueret. Dei, ac Cęlitum familiaritati plurimùm dare, reliquum ſtudiis.

IV. Jam Sacerdos, atque exemplar virtutum tot populis datus majorem in modum eidem integritati cavit. Cum fœmina, licèt honeſta, ętateque graviori verba ſine arbitris facere non conſuevit, nec ſine magna neceſſitate. Pulcherrimum illud, quod in Alphonſi Caſtrenſis teſtimonio invenitur. „ Apud Caram „ Peruanum Oppidum fœmina in primis nobilis neſcio quid con-

„ controversię cum leviro suo habens, in qua operâ ipsius ege-
„ bat, libellos in hominem scriptos, ad Pręsulem deferre ausa
„ est. Intempestę noctis silentia secreti causa delecta. Igitur
„ circa tertiam noctis vigiliam, ad cubiculum ejus clanculum
„ veniens, famulis tunc aliò intentis, ad januam accedit, pulsat,
„ Divinis officiis adhuc vacantem interpellat. Ille intus respon-
„ dens quis? quid veniat, quærit. Ubi fœminam Civitatis no-
„ bilissimam, libellos ad se deferentem, & colloquium poscen-
„ tem audivit, valde eâ re commotus, verbis minimè blandis:

Ibidem p. 300. *Quæcunque tandem sis*, inquit, *nihil ages: Quin potius si quis pudor, apage te hinc continuò pacificè. Egone te hac noctis horâ in cubiculo audiam, cui, ne interdiu quidem, cum fęminis miscere sermones mos est?* Eâ repulsâ mulier contemni se arbitrata, ægrè-
„ que id animo ferens recessit, libellis in januæ rima relictis.
„ At Præsul exacto die, Cubicularium suum acrius objurgavit,
„ quòd ita negligentem Præsulis curam habuisset, vehementer
„ orans, atque imperans in futurum ne se incustoditum relinque-
„ ret.

Ibidem p. 301. V. Aspectum quoque muliebrem usque adeo timuit, ut vix sorori Grimanessæ domi suæ locum esse permiserit. Quæ cum aliquando ancillas quasdam adhibuisset ætate adhuc florentes, easque Præsul domo egrediens vidisset, ea de re vehementer cum illa expostulasse dicitur; ac se nisi puellas ancillantes Sacerdotali domo abesse juberet, aliò procul dubio demigraturum. Neque enim fas esse Præsulis domum adiri, nisi a Viris Religiosis, ac Deo addictis.

VI. Osculum manus a fœmina, ne venerationis quidem gratiâ unquam admisit. Propior nunquam stetit, aut consedit. Oculos in vultum nunquam, aut conjecit, aut extulit. Interdiu causam afferentes, aut opem petentes audire magis necessariò, quàm sponte, paucissimis expedire: noctu, nec audire omnino, nec alloqui passus.

VII. Virginum Divino cultui addictarum Collegia, quod ejus munus erat, invisens, ab earum aspectu, quamvis in iis Neptes & consanguineæ forent, oculis temperare semper visus.
„ Quo tempore, ut testis utar verbis, extra se positus videba-
„ tur, atque a sensibus corporis remotus, Angelicam similitu-
„ dinem referens.

VIII. Fatali ægritudine oppressus, nullam, aut fœminam, aut fœminarum opem, quarum apud eas gentes præcipuus in re medica est usus admisit.

IX. Si

IX. Si quando ad ejus cubiculum germana soror, secretos de de aliqua re gravissima sermones habitura cum fratre venisset, continuò ille egrediens, egredi & ipsam jubebat, ut ab arbitris spectari possent; causatus, minus incommodi foris, quàm intus aëris æstum afferre.

X. Omnes Divino cultui, aut animarum curæ addictos honestatis, ac pudicitiæ studiosissimos optavit. Præfecturis iisdem amovere, ac gravissimè animadvertere in eos solitus, quorum vita, & mores ab omni impudicitiæ suspicione alienam non reperisset. Evangelicum illud sæpissimè inculcans, Nisi efficerentur sicut parvuli, simplicitate videlicet, pudore, innocentiâ, non intraturos eos in Regnum Cœlorum. Ibidem p. 302.

XI. Hinc fiebat, ut exemplo tanti Præsulis tam conspicuo virgineæ integritatis, omnes non solùm domestici, ac familiares, sed externi etiam, & Provinciales quique permoti, Castitatem, ac verecundiam magnopere sibi colendam, servandamque putarent: ac multi tum virorum, tum fœminarum hujusmodi virtutum laude florerent.

XII. Paulus Moja Contrerensis Vir summâ fide, & auctoritate ita habet: „ Fuit Turibius usque adeo honestus, ut libidi-
„ nis ne verbum quidem audire, vel minimum posset. Homi-
„ nes verò lascivia inquinatos, etsi alioquin doctrinâ, ac litte-
„ ris insignes sibi majorem in modum displicere palam ostende-
„ bat. Illud notissimum, omniumque opinione receptum, Vir-
„ ginitatem perpetuò illibatam eum servasse; puramque ab om-
„ ni labe vitam duxisse. Ejus quippe honesta vivendi agendique
„ ratio ita credere persuasit, non iis solùm quibuscum hîc con-
„ versatus est, sed & iis quibuscum adoleverat in patrio solo:
„ huc enim si quis eorum ad nos adveheretur, id inter alia de eo
„ prædicantem audiebamus. Itaque in ejus Virginitatem publi-
„ cis acclamationibus itum est: qui sine arbitris, nunquam lo-
„ qui cum fœmina visus, nisi forte si qua opem imploratura, aut
„ jus suum postulatura venisset.

XIII. Bartholomæus Menachus: „ Castitate, *inquit*, ac
„ pudicitiâ, supra omne encomium præcelluit. Feminis, si quæ
„ audiri ab eo omnino vellent, allatis causis, invitè, atque ægrè
„ aures dabat. Quod non obscurè deprehensum ab iis, qui ade-
„ rant. Nullam verò secretò allocutus, quamvis Religionem
„ professam. Eò honestatis pervenit, ut ne Collegia quidem sa-
„ crarum Virginum, quibus præesse cogebatur adiret, quò ea-

Z „ rum

„ rum ullam inviſeret, aut alloqueretur. Vix feſtis quibuſdam
„ anni diebus, ſacris apud eas myſteriis intereſſe non refugit, a
„ quibus tamen ſtatim domum revertebatur.

XIV. Subſcribit Petus Ortega Sotomajor egregius Theologus his verbis: „ Præſulem TURIBIUM ALPHONSUM ſe noviſſe,
„ caſtitate, omnique modeſtiæ genere adeo inſignem, ut oculos
„ ad mulieris vultum nunquam erigeret, nullamque ex eis allo-
„ queretur, niſi multis præſentibus, iiſque cauſis, quibus neceſ-
„ ſariò cogeretur, hoc tamen interdiu; nam noctu muliebres
„ omnes ſermones refugiſſe. Domeſticos quoſque hanc ejus pu-
„ ritatem ſibi imitandam propoſuiſſe: immo per totam Provin-
„ ciam Sacerdotes, exemplis ſui Præſulis tam perſpicuis atque
„ commendatis ad hæc eadem præſtanda inductos. Cui quidem
„ virtuti a primis annis ſingulariter eum addictum fuiſſe. Qua-
„ mobrem ratum, certumque inter eos, qui a pueritia cum eo
„ verſati erant, ſimulque adoleverant, incontaminatam ſemper
„ animæ, & corporis integritatem illum conſervaſſe.

Ibidem p. 303.

XV. Pluribus jam uti Teſtibus quid opus, cum omnium pene eadem ſint verba, idem omnes affirment? Ex his facilè colligitur quo amore cordis puritatem, vitęque integritatem TURIBIUS dilexerit, & quantâ vigilantiâ cuſtodiverit.

Ibidem p. 304.

LIBRI TERTII FINIS.



VITÆ



VITÆ
S. TURIBII ALPHONSI
MOGROBESII
LIMENSIS ARCHIEPISCOPI
LIBER QUARTUS.
CAPUT PRIMUM.
Proximæ mortis suæ conscius TURIBIUS *ægrotare incipit.*

I. NNUM sexagesimum octavum TURIBIUS agebat, Anno a Christo nato MDCVI., cum susceptâ in Provinciam tertiâ profectione, cujus quadam parte peragratâ, Guadalupem circa mensem Martii pervenit. Locus is Augustinianorum Collegio, Temploque B. Virginis celeberrimus in Convalle Pacasmajo maritima, Urbe Limâ trecentis passuum millibus ferè distans. Ubi Religiosum hospitium, meridiani solis causâ ingressus, in quietem corpus exiguam exolvit: quo tempore æternæ mox acquirendæ certior factus fuisse creditur, corpore ærumnisque mortalibus exolutus. Nam remittente mox æstu, cum ad itineris prosecutionem a familiaribus compellatus fuisset; sub digressum, aliud sibi iter urgendi jam tempus advenisse, manifestis verbis prædixit. Herrera lib. IV. c. I p. 309.

II. Postero die ægritudine tentari cœpit, quam tamen non tanti fecit, ut prosequi propterea cœptum iter non vellet. Itaque litteris ad Ludovicum Lopesium Quitensium Antistitem missis, quibus rogabat, ut proximis diebus olei consecrationem, ac cæterarum sacrarum rerum administrationem pro se ægrotante obiret; Quereppem, inde Requem Oppida venit, resque in his sacras recognovit, eâ tamen celeritate quâ potuit maximâ, morbo in dies gliscente, ac gravius premente.

III. Hebdomadæ sanctioribus Dominicæ Passionis, ac mortis mysteriis dicatæ tertius dies erat: quos illi dies sanctissimâ religione, singularique observantiâ transigere solemne fuerat. Jejunii primùm sacras leges exolvere, ne eo quidem rerum, ac vitæ statu sibi fas putavit, multoque minus cibis eo tempore vetitis vesci, quod a Medicis jubebatur. Mox obedientiam jejunio præstare ubi secum ipse reputavit, Medicorum voluntati cedere non recusavit, adeo tamen cunctanter, ac religioso pene dixerim metu, ut prius a Sacerdote loci Præfecto edendi carnes facultatem sibi fieri voluerit; quasi ne tum quidem sibi rectè consulere, suoque de rebus suis judicio deliberare, sine erroris suspicione posset.

Ibidem p. 310. IV. Sagnam eodem, aut sequenti die iter dixerit, quò cum ventum esset, ita se vis morbi statim explicuit, ut contemni jam ultra non posset. Apud Joannem Herreram ejus oppidi animarum curam gerentem hospitio receptus est, a quo facultatem cibis eo tempore non concessis vescendi confirmari, memorabile Christianæ demissionis exemplum, voluit. Tum, quò brevius sibi vivendi tempus superesse videbat, eò ampliora virtutum exempla edere contendit. Si unquam aliàs Divinæ se voluntati, suaque omnia tunc conformavit.

V. Liberalibus statim largitionibus omnium sacrarum Aedium, Collegiorum Religiosorum, infirmorum, egenorumque incolarum sibi opem implorare studuit, non vivendi sanè cupiditate adductus, sed rectè moriendi.

VI. Venâ exsolutâ, ac medicamentis adhibitis ex Medicorum præcepto (tum primùm his uti coactus, ante inediâ morborum causis occurrere, flagorum dilacerationibus sanguinis vim diminuere consuetus) valetudinis recuperandæ vix ulla spes affulgebat, cum vis morbi non incerto periculo mortem jam ingruentem minitaretur. Quod videntes Medici, Naturæ Artem suam cedere confessi, de ipso actum pronuntiarunt. Ibi Joannes Roble-

blesius Sacerdos domesticus, cum identidem ab eo referri cum laude audisset de quodam Granatensi Antistite omni virtutum genere ornatissimo, qui ægrotans, munus nuncianti primùm sibi de mortis suæ die receperat, in eam venit spem, fore ut si Turibio pauca vitæ momenta superesse nunciaret, ab eo præmio non vulgari liberaliter donaretur. Ad eum itaque Roblesius accedens: *Meministi ne*, inquit, *exempli quod de Antistite Granatensi non semel narravisti, qui liberali manu remuneratus illum fuit, a quo mortis jam impendentis certior factus erat?* Cum ad hæc se hujus rei bene meminisse Turibius affirmasset; *ergo*, Roblesius reposuit, *ad hoc ipsum faciendum hoc exemplo tuoque promisso obstringeris: ideoque præmium quod hac de causa pollicebaris expecto; primus enim te propediem ex mortali hac vita ad sempiternam evolaturum patefacio.* His acceptis veluti optatissimis nunciis incredibile dictu est, quàm totis præcordiis gestiens exultaverit. Continuò sublatis in cœlum cum manibus oculis, læto præter omnem morem vultu, iisdem ac Granatensis ille vocibus exclamavit: *Lætatus sum in his quę dicta sunt mihi in Domum Domini ibimus.*

VII. Post hæc de supremis Tabulis conficiendis cogitavit, in quibus jussit: Res, quas secum advexerat inter domesticos famulos distribui: quidquid annui censûs, instrumenti familiaris domi relictum, pauperibus cedere, ad quos propinquitatis jure arctiori se pertinere profitebatur: corpus exanime efferri Religiosis vestibus contectum, Dominicanâ Franciscanâ, Augustinianâ, ad Urbem deportari, intra Basilicam humari: cor verò exēptum apud Divæ Claræ collocari, monumentum religiosi amoris ac paternæ benevolentiæ, quâ ejus loci Virgines Dei sponsas semper fuerat prosecutus. Ibidem p. 311.

VIII. Jam morbi vi prope summâ lectulum in Templi angulo sibi componi jussit, Viaticum Divinum accepturo: neque enim dignè factum putabat venientem ad se Deum opperiri in cubiculo. Quo uti jusserat, facto; ubi eo in lectulo collocatus, Sacerdotem sibi sacra Mysteria afferentem conspicatus est, largo fletu ora perfundens, singultibus pectus crebris quatiens, caritatem quâ flagrabat tunc ardentius ostendit. Internam verò illam pietatem, demissionem, reverentiam, gaudium, piique animi significationes, quibus ad se venientem excepit facilius cogitare, quàm verbis exequi, & narratione complecti potest quicunque rem attentè perpendit. Ex iis qui morituro aderant vix ullus a lacrymis temperavit. Omnes tanti Præsulis jacturâ, quam ma-

Collegii Moderator erat Joannes Ramiresius fidibus canere Cap. II.
sciens. Huic Præsul mandavit, ut Dechachordo caneret coram P. 314.
se Davidicum Carmen: *Credidi propter quod locutus sum.* Quo obsequente, aures a sacris modulis, oculos a Jesu Christi e Cruce pendentis, ac Sanctissimorum Petri & Pauli Imaginibus non avertit.

III. Mox iterum Fidem rite professus, ejusdem a circumstantibus Symbolo decantato, veniam simul cum lacrymis a Deo suorum peccatorum precatus, effigiem Crucifixi in manu gerebat, iterum fidicinem rogavit, ut similiter aliud Carmen inciperet: *In te Domine speravi &c.* quo ad extremum illud deducto: *In manus tuas commendo spiritum meum*: manibus in Crucis modum efformatis, animam suo Creatori reddidit, ad extrema momenta, vocibus, ac sensibus integris nihilque turbatis, decimo Calen- Ibidem.
das Aprilis, sub vesperam tertiâ a meridie horâ; quo tempore P. 315.
bonus Jesu Christi æmulator, caritatis singulare specimen exhibere quotannis ante consueverat pauperum pedes abluens, iisque Ministri officio fungens singulari caritate cœnam præbens, anno a suscepto Archiepiscopatu quinto ac vicesimo.

IV. Corpus ejus exanime suavissimum spiravit odorem. Vultûs gratia incorrupta, ac nitor quidam singularis permansit.

CAPUT III.

Prodigia mortem consecuta, ac funus.

I. NON paucis, aut levibus, sed multis, ac fide dignis Cap. III.
testibus proditur eadem nocte visum insolitâ clarita- P. 316.
te cœlum splendescere jubare purpureo in Crucis similitudinem latè quadrifariam partito. Quod Limæ animadversum mortis, & gloriæ ipsius per laboriosissimæ vitæ, quasi perpetuæ, atque ingentis Crucis patientiam, comparatæ certissimum indicium, ab interprete Divinorum Virgine religiosa, acceptum est.

II. Addunt alii Lunæ defectum ad quatuor, & amplius horas præter morem omnem, ac tempus: quo intelligeretur, luminare ejus Regni TURIBIUM Præsulem sanctitate clarissimum extinctum, in terris esse desisse.

III. Statim ab excessu exenteratum cadaver, atque unguentis conditum. Cor detractum in Divæ Claræ, uti mandaverat, parte Templi superiori, honorifico loco anno sequenti collocatum, additâ Petri Villagomesii Successoris, & consanguinei inscriptione hac sepulchrali.

Huic

Huic tradi jussit proprium TURIBIUS *urnæ*
COR, donec, sicut Spiritus, astra petat.
Sanguine quem clarum genuit MAJORICA Villa
VALLISOLETUM nutriit, excoluit.
Hinc a Salmantinis, qui dicuntur OVETI
Collegis rapitur dignus honore togæ.
Post Censor Fidei factus regnante Philippo;
LIMANOS Populos, ut regat eligitur.
Commissam rexit blando moderamine sedem
Subjectis placidus, pauperibusque pius.
CONCILIIS docuit Peruanos dogma salutis:
Effectus speculum, normaque Pontificum.
Formavitque Domum pueris, quam sacra docendis
Tridenti Synodus jusserat erigere.
Hocque MONASTERIUM struxit, Monacasque sacravit;
Ut Domino fundant, nocte dieque melos.

Ibidem p.317. IV. Illud mirum de intestinis ejus fertur, nullum in eis præteriti cibi vestigium fuisse repertum, atque ita jejuna, & inania, ut si nihil a multo tempore fuisset ingestum. Quod abstinentiæ laudi datum, & si quidam Medici inediâ confectum existimaverint.

V. Biduum jacuit in feretro, supra religiosas vestes cum quibus humari testamento mandaverat, propriis dignitati indutum, atque infulatum. Quo temporis spatio lugubribus Campanę Templorum tinnitibus, populorum gemitus non tam ciebant quàm cumulabant. Pauperes amantissimum parentem amisisse se se querebantur, Sacerdotes Sanctissimum Pontificem, Religiosæ Familiæ amantissimum Patronum, omnes providentissimum Pastorem, clarissimum exemplar, columen, ac præsidium singulare.

VI. Interea pecrebrescens inter vicinas Gentes acerbissimus nuntius, universas ad exequiarum suprema contraxit. Nulla ferè hominum conditio, sexus, ætas defuisse visa est. Undique multitudo confluere certatim ingenti numero. Quę quisque religiosè sanctèque facta dictaque a Dei famulo, aut viderat, aut audierat memorare. Deprędicare alii caritatem, alii Liberalitatem, alii Modestiam, alii Vitæ integerrimæ candorem, alii laborum assiduam patientiam, alii alia. Erant, qui ante cadaver ad humum dejecti, ejus suis rebus opem, ut inter cœlites jam recepti implorarent. Multi ex ejus Reliquiis aliquid excerpere, uti pretiosissimum pignus collaborabant. Plures Rosaria, & Coronas admovere;

vere, sanctitate viri consecrandas curabant. Universi propius accedere, oscula pedibus infigere; defuncti vultum minimè deformatum; ora veluti adhuc spirantia; membrorum nullum rigorem; suavitatem planè cælestem ex iis efflantem admirari: tum acclamationibus sanctitati ejus favebant; felicitati gratulabantur.

VII. Ea fuit multitudinis vis, ut custodes circa feretrum statuere necessarium fuerit; ne aut in tumultum versa se opprimeret, aut audacius quidpiam more suo moliretur.

VIII. Pridie ejus diei quo Christus Dominus noster tumulo redivivus; eodem ipso proniori in occasum sole, funebri pompâ in princeps Sagnensium Templum elatum cadaver humatum est. Cujus bonus odor cum opinione sanctitatis longè, latèque diffusus, plurimos ad se ex vicinis, ac longinquis Regionibus veneratores excivit. Ibidem p. 318.

IX. Limæ quoque ubi de Turibii excessu nuntius allatus, novendialibus sacris ei parentatum est, apparatu lugubri ac magnificè instructo; magno totius Civitatis concursu, elogiis, luctu.

X. Vitam ipsius, ac laudes, Chilensium Præsul Joannes Peresius Espinosa e Franciscanorum coetu, gravi elegantique oratione complexus est; Exordio ex iis verbis deducto: *Ecce Sacerdos Magnus, quem constituit Dominus super familiam suam*. Virum Sanctum quotiescunque illum nominabat eundem appellans.

CAPUT IV.

Limam Turibii *Corpus honorificè transfertur*.

I. Apud Sagnenses per annum Turibiani Sepulchri maxima ubique fama, ac veneratio fuit: quo exacto in Limensium Sacerdotum cœtu deliberatum fuit de Corpore in Urbem ac Basilicam suam transferendo. Mattheus Consalvus inter Canonicos Magisterii dignitate præcellens translationi præficitur. Duodecim e Sacerdotali ordine delecti adduntur. Cap. IV. p. 318.

II. Ab his ubi Sagnensium in oppidum ventum est, locus tumuli jure recognoscitur, detegitur, omnia circa corpus diligentissimè inspiciuntur. Mira res! Cadaver ante annum conditum perinde integrum, atque incorruptum repertum est, ac si recens sepultum fuisset. Labra purpureo adhuc colore suffusa, caro mollis, ac tractabilis, artus ad flexum faciles; forma denique omnis qualis aut vivo, aut nuperrimè exstincto. Nihil in illud duæ illæ potissimæ corrumpendorum corporum causæ valuerunt, lo-

ci humidioris natura, & calor ingens adjunctus.

Ibidem p.319. III. Igitur exhumatum inde summâ veneratione pretiosum pignus, loculo includunt, Limam lecticâ advecturi. Quod non sine ingenti Incolarum mœrore fieri potuisse demonstrare verbis supervacaneum fuerit. Id tamen supremis Tabulis jussisse Præsulem, acerbitatem doloris aliquantulum mitigavit.

IV. Plures ex oppidanis, ac loci accolis honoris ergò ad Urbem comitari statuere spatio centum, ac decem leucarum distantem. Eo porro in itinere infinita hominum multitudo e vicinis oppidis, ac vicis accessit. Ubicunque venientis rumor audiebatur, vidisses confluere obviam virorum, ac mulierum cum cereis, ac votivis muneribus agmina: audisses deplorantium amantissimi Pastoris jacturam, flebiles voces, easdemque sanctimoniæ ipsius acclamantes. Quemadmodum flumen principio modicum, collectis pluviarum, ac rivulorum influentium aquis præter modum excrescit, sic turbis passim se se in comitatu adjungentibus ea multitudo augebatur donec ad Urbem deveniretur. Non satis viæ amplæ: effundebatur hinc inde more aquarum per campos. Nunquam tam ingentem hominum multitudinem intra sua mœnia confluxisse Limensis Civitas vidit. Nunquam ita viarum latera densis ordinibus obsessas; fenestras domorum adeo desideratas, fora tam frequentia: singultus acclamationibus miscebantur, hinc suam vicem lugentium, hinc illi beatitatem gratulantium.

V. Jam ad sacram D.Dominico Aedem intra Urbis moenia corporis deductio facta fuerat, cum cumulandæ funebris pompę causâ ibi celso pegmate depositum per bidui spatium relictum est, ut Populus qui frequens advenerat suæ in Turibium pietati, suoque dolori ob illius mortem, hoc veluti lenimento satisfaceret.

VI. Interea funebri apparatu adornato inter Religiosorum hominum, Sacerdotumque Cœtus, Urbis Magistratibus adjunctis, solemni ritu ad Basilicam inde deportatum, ubi iterum justis exolutis, laudatâque a Petro Nunnesio ejus Ecclesiæ Decano Viri sanctimoniâ, quia Mausoleum sub Ara maxima (quo paucis post annis, Bartholomęo Lobo Guerrerio, qui Turibio successerat curante illatum est) absolutum nondum erat, privato sacello interea temporis condi, necessarium fuit.

Ibidem p.320.

CA-

CAPUT V.

TURIBIANÆ *Sanctitatis summa ubique opinio*.

I. EA verò, cùm apud eos, qui TURIBIUM viventem viderant, tum post mortem rebus hisce interfuerant, virtutumque præclarissima decora deprędicari audierant, opinio de eo percrebuit, animisque omnium inhęsit, quæ de Beatorum in numerum adscriptis ob insignem sanctitatem haberi solet. Cap. v. p.320.

II. Undique ad ejus, sepulchrum tanquam ad Viri sancti cineres concurri; vota nuncupari, supplices fundi preces, munera afferri: cętera denique omnia fieri, quę cum Sanctis.

III. Quæ opinio ita constans, ita in dies auctior evasit, ut nemo TURIBII nomen sine sanctitatis laude enunciet. Nemo magnopere a Summo Pontifice enunciari non exoptet, quod jam tamdem non privatis tantùm votis, sed & publicis quoque postulatur.

IV. Id nequis populari tantummodo favori niti putet, id vulgo, id optimatibus, id doctis, indoctis commune votum esse intelligat. Hoc non unius Peruviani Regni vocibus, sed Hispaniæ, Italiæ, Europæ, Americæ, utriusque tandem Mundi succlamationibus flagitari. Doctissimorum Virorum testimonia nonnulla, jam tum a principio congesta. Centum in Actis ejus jurati testes, eosque probatissimos ac summâ fide dignos Vitæ Hispanicus Scriptor Antonius Legionensis recenset. Accessere post alii plures. Epistolas verò supplices ab Hispaniæ Regibus ad Romanos Pontifices binas. A Primatibus Toletano, Granatensi, Limensi, Platensi: Ab Episcopis Cordubensi, Salmaticensi, Legionensi, Pampilonensi, Calaguritano, Zamorensi, Pacensi, Conchensi, Vallisoletano, Cauriensi, Gaditano, Asturicensi, Glandomerensi, Auriensi, Abulensi, Oxomensi, Truxillensi, Chilensi S. Jacobi, Chilensi Conceptionis, Cusquensi, Panamensi, Guamangensi, Arequipensi, & Legionensi. A Capitulis, ut vocant, Cathedralium in idem quoque argumentum eodemque in TURIBII sanctitatem studio scriptæ Epistolæ. Ab Academiis Salmanticensi nova, veteri S. Jacobi Ovetensi, Complutensi, Vallisoletanâ, Limensi: A Religiosorum Virorum ordinibus, Prædicatorum in Peruviis, Franciscanorum, Augustinianorum, Redemptionis Captivorum, Jesuitarum, a Religiosarum Virginum cœtibus Conceptionis, Incarnationis, Trinitatis Limensibus: a Clero Limano to- Ibidem p.321.

taque Civitate, a regio Præfecto ejus Regni, a Consulibus Urbis Regum, a Magistratu Rationum, aliisque pluribus quos recensere nimis longum esset, scripta, & missa in eamdem rem ad summum Pontificem postulata.

V. Jam mos obtinuit apud eas Gentes, ut cum Sanctus Antistes dicitur, vel auditur, antonomastice TURIBIUS Alphonsus intelligatur, cujus exemplar tantæ auctoritatis est, ut cũ rem quampiam magni momenti administraturi sint cujus exitum magnopere felicem, atque e republica velint, agendi rationem ab eodem auspicandam putent; ita se in re simili gessisse æquè TURIBIUM memorantes.

VI. Quoties usuvenit, ut de sacri alicujus Præsulis laudabili Vita, ac sanctimonia incidat sermo, TURIBIANÆ comparatione amplificare solent, quem Præsulem non Gregoriis, non Chrysostomis absimilem fuisse deprædicant.

Ibidem p.322. VII. Nec solùm TURIBII memoria in benedictione est, ejusque nomen celeberrimum, ac sanctum habetur, sed cum omnia, quæ ipsius aliquando fuere, tum Imagines quæcunque eum referentes piâ veneratione coluntur, conservanturque, immo felices, ac fortunatos se putant, qui vestium fragmenta, aut aliud ab eo acceptum, apud se quasi malorum omnium præsens remedium possident: argenteis thecis inter pretiosissima hæc servare consueti.

VIII. Hujus opinionis causas duas potissimùm esse puto, alteram, quæ in vita gessit heroica, alteram, quæ post mortem admiranda. De illa supra jam satis: hanc mox exequi incipio. Quâ cognitâ perspicuum erit opinor, non temere ita homines de TURIBIO sensisse, & opinionem, quâ illum Sanctis accensendum jure merito arbitrabantur, certatim confirmabant. Ea etenim beneficiorum magnitudo est, quâ sibi quotidie mortalium mentes obligare constat TURIBIUM, ut ejus deprecationem ad supplicum vota consolanda plurimùm apud Deum valere, plures experientiâ docti cognoscant, omnesque pietate instructi ultro fateantur.

CAPUT VI.

TURIBIANI *Corporis admiranda.*

Cap. VI. p.322. I. ILLUD cum primis Testes ferè omnes cum admiratione commemorant, quòd Viri Sancti Corpus cum indumen-

mentis, quibus involutum, aut ornatum fuerat, non incorruptum modò a morte permanserit, loco humenti atque mortuorum cadaveribus ob varias cœli aërisque injurias vehementer contrario, sed tractabile, & in omnem formam tanquam viuum flexu facile. Gratiam ad hæc oris, & coloris quamdam florentem in labris venustatem non potuisse per mortem aboleri inter res dictu miras recensent.

II. Nam cælestis odoris suavitatem, etiam ex ipso Cadavere emanasse, quis non miretur?

III. Antonii de Penaranda Viri ex Ordine Prædicatorum insignis testimonio, hoc memorabile proditur „ Quemdam, *ait*, in „ sua familia inferioris ordinis fuisse Joannem Michaelem nomi- Ibidem. p.323.
„ ne, qui(quo tempore a Sagnensium Oppido in Urbem Turibii „ Corpus translatum in in D.Dominici Templo expositum mansit) opinione sanctitatis adductus, ex eo particulam sibi exoptaret. Temporis proinde opportunitatem nactus(quæ illi cum esset ędituus non admodum difficulter oblata est) noctu accessit, ac digitum dentibus abscindere primùm ausus est. Quo frustra diu tentato ubi nihil proficere se vidit, acutum exemit ferrum, eo ratus rem con fici posse;& verò potuisset vi,ac ferro, nisi miraculo se defendisset Vir Sanctus; quo ita sui corporis articulum adamantinâ quadam duritie complevit, ut vi ullâ nec ferro, nec cute quidem tenus leviter unquam violari, nedum resecari potuerit. Quamobrem prodigio ille obstupescens ab audaci incœpto desiit, particulâ tantùm vestium honoris causâ desectâ, quo mi rabili eventu venerationem erga Turibium auxit, in opinione de illius sanctitate magis ideo confirmatus.

IV. Huc accedit, quod Didacus Alvarez Sacerdotali fide dignus de eodem corpore Turibii affirmat suis se oculis pervidisse, „ hisce verbis„ Supra annum menses aliquot a funere præterierant, cum Turibii corpus ab Oppido Sagnensium, in Urbem Regum deportandum, exhumatum fuit me præsente, ac vidente. Ibi nova res, & admirationis plena, barbâ recenter abrasâ ipsemet videram cum tumulatum fuit, tunc auctâ, ac promissâ repertum est. At hoc, & naturæ dari posse non nego. Multis enim capillum scimus, aut ungues a morte produci. Habet tamen rei miræ specimen in Turibii corpore tamdiu ante vitâ destituto, tam vivo persimili.

V. Pauca hæc in ipso corpore, pluras sunt quæ ab ipso in aliorum beneficium edita demiremur. Non enim otiosum in tumulo

colis, vadi audacius tentati exitus infelices. Proximè Religiosos quosdam Viros in summum laborem adductos, audaciæ suæ pœnituisse, vix e media morte erreptos. Quibus exemplis Matthæo Consalvo persuadere nitebantur, ne se, comites, sequentem turbam, Viri Sancti pretiosissima pignora, pari si non majori periculo vadis committeret. At ei persuaderi non potuit, ut in ripis sub ardenti Sole, totum diem consistens opperiretur, dum fluvius sub vesperam more suo detumesceret. Quid enim sacri pignoris advector timeret? Cur a Deo famuli sui meritis tutum vadum non reddendum speraret?

II. Talibus fretus auxiliis, ac fiduciæ plenus lecticam, quâ corpus vehebatur, præcedere jussit, ponè ipse cum tota multitudine consecuturus.

III. Vix jumentum primoribus ungulis aquam tetigit cum fluvius, qui erat altissimus humili repente lapsu subsidere, infra ripart aggeres lenius fluere, nullum turbidâ rapiditate metum incutere visus. Quid plura? Vadari nunquam se passus est tantâ undarum facili placiditate.

IV. Maximâ omnium mentes admiratione res planè mira affecit: tum verò maximè cum totâ jam multitudine transductâ, iterum visus est ab imo, in altitudinem priorem sustolli, solitoque impetu labi.

V. Nemo fuit, qui a Turibii sanctitate miraculum non agnosceret, nemo qui non ei immortales post Deum gratias agendas, habendasque non existimaret. Quæ opinio magis magisque confirmata est alio ejusdem generis prodigio in Barancæ fluminis transitu edito, cujus pari modo rapiditas compressa constitisse memoratur. Ibidem p. 326.

CAPUT IX.

Pueris ægrotantibus a TURIBII *Corpore mira sanitas.*

I. SED & illa eodem in itinere mira. Truxillensem ad Urbem ubi perventum esset, ex accolis, pueri periculosissimè ægrotantis parentes cum ipso puero obviam processere a Consalvo etiam atque etiam flagitantes, ut ne filium loculo Sancti Præsulis imponi vetaret, a quo incolumitatem certissimè consecuturum sibi sperabant. Non difficile fuit ab humanitate viri quod optabant impetrare. Imponitur loculo puer, pro ejus sospi- Cap. IX. p. 326.

tate

nondum pueritiam egressus triennium æger gravissimè decubuerat. Quamobrem cum Conjuge Anna Berrera nobili fœmina adolescentis matre molestissimis curis angebatur.

VII. Inter hæc de TURIBIANI corporis transvectione nunciis allatis, quod medicamentorum vi, humanisque artibus tamdiu non potuerat, exorare ab eo precibus, ac votis nuncupatis facilè posse confidit. Quâ confidentiâ puerum ad eum locum perducunt quà transitus illi futurus erat, ubi feretro postquam imposuere, opemque illi a Dei famulo vehementer expetiere, paucarum horarum spatio voti compotes domum suam læti cum filio jam sospite reversi sunt.

CAPUT X.

Puellæ incolumitas restituta.

I. LUDOVICI Vergæ Carrionis Santensis civis filia Petronilla nomine incurabili æquè ægritudini a triennio obnoxia, postquam TURIBIANO feretro (ab avia Anna Varquesia ad eum locum quà portabatur ducta) incumbere permissa est, inter ipsius aviæ vota, ac preces omnino incolumis, ac bene valens recessit. Cap. IX. p. 327.

II. Altera apud Guermei Guauræ Provinciæ villam manibus, ac pedibus ægritudine longâ ita labefactis, atque debilitatis, ut agendi, incedendique prorsus impos videretur, jacebat, cum transvectio illac fieret. Mater piâ erga miseram sollicitudine adductâ, cui nullum inter homines remedium jam esse videbat, Consalvum magnopere obtestari cœpit, ut quo filiæ suæ infortunium depelleret remedium unicum ne abnueret, linteum a sacro Corpore, aut indusium detractum exoravit. Quo cum mox puellulam involuisset, factis ad TURIBIUM ipsum votis, continuò illa agiles a morbo manus ostentare, pedibus suis liberè incedere, nullo ægritudinis impedimento prioris teneri.

CAPUT XI.

Multiplex a TURIBII *aspectu remedium.*

I. NONDUM Truxillo sacri Corporis sarcinam extulerant cum Mulier ulcerosum, impeditumque multipliciter corpus eò pertraxit, ubi illud constitisse dicebatur. Cap. X. p. 328.

II. Hæc viventem Præsulem, pluribus olim beneficiis opitu-

 latum

latum sibi fuisse professa, ejusdem mortui aspectu frui posse novissimum omnium munus efflagitavit, certissimâ potioris alicujus beneficii fiduciâ scilicet salutis recuperandæ.

III. Tam piis, justisque votis ut fieret satis, loculi superiore parte remotâ, velamen quo facies, & corpus contegebantur subduci cœperat; quod dum peragitur ad primum Turibiani vultûs aspectum, sanam se mulier omnino esse, & cognovit, & pronunciavit.

CAPUT XII.

Alia ægra, & capite dolens quomodo curata a Turibio *fuerit.*

Cap.x. p.328. I. Sexcenta hujusmodi toto illo translationis, & spatio, & tempore patrata, affirmantibus præsertim non obscurè testibus, credere ego non dubitaverim. Pleraque tamen, ut sæpe querebar, & fortasse digniora cum iis ipsis, qui ea accepere in obscuro jacent oblivione sepulta, donec ad majorem Sancti nostri gloriam in lucem tandem proferantur. Id tamen solari dolorem potest, quòd ea quæ habemus ejus generis esse videntur, quæ magnitudine suâ, multitudine saltem eorum quæ amissa fuere sarcire quodammodo possint.

II. Inter quæ illud quoque non spernendum, quod de alia ignoti nominis, ac loci fœmina memoriæ proditur. In ipsa Corporis Turibiani transportatione accidisse tantùm liquet. Illud enim dum prætervehitur, hæc membris ex longo tempore malâ valetudine affectis, in caput præsertim desæviente doloris acerbitate, ut ut valuit, propius se per turbam inferre ad feretrum curavit. Cum tandem accessisset fiduciæ potius, ac piæ voluntatis viribus usa quàm suis, ac lecticæ caput ægrum immisisset, sic repente cum toto corpore sanum retulit, ut deinceps ne doloris quidem vestigium resederit.

Ibidem p.329. III. Aliis pluribus, uti dicebam, ægritudinem variis generibus laborantibus, ad prætereuntem lecticam accessisse, saluti fuit, sed hæc obiter, & in via. Quæ sequuntur per Turibium in Urbem suam jam advectum gesta.

CA-

CAPUT XIII.

Maura mulier ad Turibii *Corpus piè orans vehementem febrim discussit.*

I. Sub ipsum enim Urbis Regum ingressum, & præsertim bidui spatio, quo in Dominicanorum Aede fuit beneficia liberalius impertiri cœpisse reperio. Illud singulare memoriæ traditur de quadam servilis fortunæ fœmina genere Maura, Mariana nomine. Cap. xr. P. 329.

II. Apud Petrum Azagneum Militarem Ducem hæc serviens, acutissimam febrim contraxit, quâ dum miserabiliter cruciatur, cum fama rerum mirabilium quæ per viam gesserat, adventus in Urbem sacri Corporis affertur. Quo quidem nuncio majorem in modum exhilarata, inde salutem sibi quoque adfuturam sperare cœpit. Nil cunctata Dominum suum multis precibus fatigat, ut invisendi sacra pignora sibi potestatem faciat. Annuitur. Ad Dominicanam Aedem, ægris passibus, forti fide, ac robustâ pietate se confert. Ibi ante sacrum Corpus provoluta piis votis remedium suæ ægritudini precari cœpit. Parvâ morâ salutem consecuta, votorum compos efficitur.

III. Alii aliter idem narrant. Bernardus Alcozerius in sexu variat, & loco, illum virilem, hunc Divi Lazari, non Divi Dominici Aedem affirmans. Quædam addit de infirmitatis genere, phthisim illam fuisse memorans. Hominem præterea non suis pedibus sed a propinquis adjutum, ac delatum, mox tactu corporis sanari cœpisse.

IV. Franciscus Ortizius auctor est, in transitu pontis sublicii apud Limam, ac feretri contactu rem peractam. Ægritudinem verò incurabilem, ac longissimi temporis dicit.

V. Alphonsus verò Morenus, Martinam fœminam appellat. De phthisi, ac Medicorum desperatione consentit. Loculum ab ægra tactum in ponte sublicio, deinde ad Aedem Divi Lazari illum consecuta. Quo loco, antequam in Urbem deduceretur fuisse depositum corpus, donec statueretur, utrum ad Franciscanos, an Dominicanos divertendum esset. Ibidem p. 330.

VI. Hæc Testium varietas Interpretum fortasse vitium fuerit: nam in re ipsa convenire omnes videntur.

CAPUT XIV.

Ludovico Cordubensi, & Franciscæ Biveriæ Conjugibus ad extremum ægrotantibus a Turbio *suppetiæ & salus.*

Cap. XII. p. 330. I. AB hoc tempore usque ad annum millesimum sexcentesimum vicesimum nonum, viginti annorum spatio nihil in Actis Turibianis tradendum testatum reperio. An quia nihil admirandi interea egerit? Quis credat? Quia beneficia ejus nemo expetierit? Quid magis a fide alienum in tanta apud omnes opinione, tantâ jam sanctimoniæ ipsius experientiâ? Non Acta profecto hoc toto tempore defuisse, sed qui ea scripto exciperent, atque evulgarent putandum est.

II. Porro illud hoc Anno MDCXXIX. sub majoris Jejunii finem memorabile traditur, quod hîc subjicio.

III. In ipsa Urbe Lima eodem planè tempore in morbum æque pestilentem, atque exitiabilem inciderant pari nobilitate conjuges Ludovicus Cordubensis, & Francisca Biveria, quos intra paucos dies eò vis morbi adegit, ut actum de utroque jam esse videretur. Mulierem certè Medici vivere non posse consenserant. Tali rerum statu Sacerdos quidam Franciscus Palma nomine ad eos invisendos veniens, officulum quod e Turibii corpore habebat secum tulit, ac Ludovico tradens, eum adhortatus est, ut sancti Præsulis opem magnâ fiduciâ, quà sibimet ipsi, quà conjugi, quæ per se id facere non poterat imploraret, procul dubio non defuturam. Paruit, ac votis summâ voluntate, pietatisque sensu conceptis, quibus fidem simul suam, simul conjugis, in vitæ, ac mortis confinio ita fluctuantis, ut sensu omnino, ac ratione uti non posset, obligabat, se novies Turibii sepulchrum piè invisurum pollicitus, sibi & uxori valetudine restitutâ, quod beneficium a Turibio sibi allatum iri sperabat. Ac spe confirmatus fideque plenus Turibii Reliquias ægris corporibus admovit.

Ibidem p. 331. IV. His peractis haud ita multo post ostium pulsari, Parochus Divini Viatici suprema sacra Franciscæ ferens adesse. Quæ res plurimâ cunctos admiratione affecit. Quippe nec Parochus vocatus advenerat, nec ægra sensibus omnino destituta Sacro Viatico muniri tunc posse putabatur. Vix tamen Sacerdos ægræ cubiculum ingressus, procurare eam sacris Mysteriis voluit, cum il-

la

la ad ſenſus, & rationem reverti cœpit. Profundo veluti e ſomno excitari dixiſſes.

V. Jam ſeriò Chriſtiano ſe ritu criminum maculis expiat: jam Corpus Dominicum ſummâ pietate, mente omnino ſanâ, voluntate alacri ſuſcipit: jam ſe vivere poſſe ſperat.

VI. Mane ita convaluerat, ut periti fateri cogerentur tam ſubitam valetudinem, humano more non contigiſſe, ſed cæleſti omnino effectam ope. Quid multa! Ab eo momento uterque Conjux habere ſe melius cœpere: paucos verò intra dies virium integritatem, perfectamque ſalutem recuperant, bene de ſe merenti Turibio vota promiſſa perſolvunt: a quo Sacerdotem etiam illum eâ noctis horâ ægræ mulieris ſumma neceſſitate accerſitum cum nullus unquam, qui accerſiſſet, aut quis ille tandem fuiſſet omni diligentiâ adhibitâ, deprehendi potuerit, non levi conjecturâ creditum eſt.

CAPUT XV.

Puerpera Turibii *Chirographum ſalutare gemino miraculo experitur.*

I. FOEMINÆ de ſe Turibii Alphonſi beneficiis cumulatæ teſtimonium dicenti fides eſto. Hæc Conſalvi Curayæ uxor, Magdalena nomine, in Guacarenſis quodam Provinciæ Oppido de Sancto Joanne dicto tribus circiter poſt annis, hoc eſt Milleſimo ſexcenteſimo triceſimo ſecundo, ob partûs difficultatē in manifeſto vitæ periculo verſabatur. De vita ſua jam deſperantem Hieronymus Vrdegneſius mulieri affinitate junctus, vir bonus, ac pius inviſit: Chirographum Turibii mãu ſcriptum multâ apud ſe religione, ac veneratione cuſtoditum deferens ſecum. Ibi poſtquam pluribus verbis mulierem conſolatus fuit, perſuaſit, ut notæ ſanctitatis, ac beneficiorum famâ clariſſimum virum auxiliatorem ſuum invocaret, recitatâ ſemel in ipſius honorem Dominicâ orâtione cum ſalutatione Angelica. Accipiendi beneficii tanquam certiſſimum pignus, ipſius Chirographum ſibi eſſe; confidenter omnino peteret. Cap. XII p. 333.

II. Nil omiſit, aut neglexit mulier ſancti Præſulis ſuppetias enixius rogans, ſtatim quæ jubebatur enunciare cœpit. Cui Vir ille bonus, ut confidentiam adderet, Chirographum utero ſuperimpoſuit. Nec mora. Fœtus rectâ prodire in lucem cœpit: mulier exitii ſui metu exolvi, editâque prole præteritos labores Ibidem p. 334.

ſola-

solari, atque oblivisci: pro beneficio grates Turibio agere.

III. Quid tum deinde? A puerperio per octo continuos dies tam copiosa sanguinis profusione exhausta est fœmina, ut vitæ simul profundendę novus, nec levis timor invaserit. Quid faciat? Superioris beneficii, atque ipsius auctoris in tanta vitæ necessitate memoria, ad novum beneficium petendum incitamento fuit. Chirographum proinde sibi iterum tradi postulat: utero iterum impomit: sacras preces ut ante fundit, sanguinem subitò fluentem sistit.

CAPUT XVI.

Res amissæ ad Turibii *invocationem recuperantur.*

Cap.xii. p.331. I. Quid quod & ad res fortasse amissas reperiundas efficacissimum Turibii nomen, atque auxilium piè invocatum creditum est? Joannes Trebexius (ipsiusmet viri hic etiam testimonio utor) mulam suam deperditam per octo ferè dies, nequidquam nullâ non parte quæsierat. Recordatus deinde Turibii nominis, famâ sanctitatis, ac miraculorum post mortem clari, ad ipsius opem sibi confugiendum putavit. Quo facto, nullâ prorsus morâ amissum jumentum adesse vidit. Quod inter admiranda Turibiana numerandum esse omnino censuit.

CAPUT XVII.

Corporis & staturæ Turibii *Alphonsi descriptio.*

Cap.xiv. p.335. I. Fuit Turibio statura dignitati par. Species suo nomine digna, Alphonsus enim apud Arabes, pulcher est. Corpus a Natura optimum, optimæ animæ domicilium. Membrorum inter se omnium apta conformatio. Modesta quædam venustas piaque majestas in vultu sanctum Virum veneratione dignum probabat. Ex vultu in quo gravis hilaritas constanter emicabat eum totum ad absolutæ virtutis leges factum, perfectiorisque sanctitatis cultorem facile ac libenter quisque credere poterat. In fronte nunquam tristi mœrore contracta, nec ircaundiæ acerbitate unquam minaci amabilis quædam lenitas elucebat, quâ omnium sibi amorem conciliabat. Vividus Oculorum nitor, quo moderata cum demissione conjuncto latens in animo virtus singulari cum decore se inde suspiciendam præbens cernebatur. Os, Labia, & reliquiæ partes quæ vultum constituebant, nihil

nihil ei deesse quod ad formam omni ex parte perfectam magisque commendatam desiderari possent perspicuè ostendebant.

II. Plura scribi ad hanc rem potuissent, si omnia quæ in tanto viro admiratione digna fulgebant cognita haberemus. Scripsimus utcunque tenuis ingenii facultas concessit, quorum notitiam vel ex probatorum testium narratione, vel ex Actis publicâ conscriptis auctoritate cognovimus. Multa quidem, & nonnulla fortasse potiora nos latuerunt, quæ si ad nostram notitiam pervenissent, illa quoque his quæ hîc scripsimus adjunxissemus. Hæc monitos Legentes volumus, ut vel oscitantiæ, vel negligentiæ culpam in nos ne conferant, si non omnia quæ Turibius gessit hoc nostro labore complexi sumus. A Legentium humanitate petimus, ut quę præstitimus licèt multùm infra dignitatem argumenti, boni consulant, voluntatemque sincerè saltem scribendi quæ de Turibio novimus probent. Deum interim oramus ut huic nostro labori faveat, atque Christianis omnibus, & præsertim viris Ecclesiasticis exemplo quod fideliter sequantur esse velit.

HACTENUS MARRACCIUS

CAPUT XVIII.

De miraculis a Turibio *patratis postquam Beatorum Fastis adscriptus est.*

I. Multis magnisque prodigiis Turibium inclaruisse etiam postquam illi a sede Apostolica religiosus cultus delatus est, Acta pro eo in Sanctorum album accensendo edita Romę MDCXCV. luculentissimum nobis testimonium exhibent. Quippe Deum Opt. Max. TURIBII meritis ab anno MDCLXXIX. quo Innocentius XI. Beatorum Fastis illum adscripsit, ad annum usque MDCXCV. quo de illo inter Sanctos adnumerando Romæ actum est, viginti & supra edidisse prodigia loco mox laudato *pagina* 1. litteris proditum legitur. Sed ne eorum numero Lectorem fatigem hîc tantùm XII. miracula in ipsis Actis relata breviter percensebo, utì Turibii vita omnibus numeris absoluta prodeat, libentiusque excipiatur. Marraccius noster equidem illa non neglexisset si suâ edita fuissent ætate.

II. Annus Millesimus sexcentesimus octogesimus volvebatur, cum Josephus de Andrada Limæ in Collegio Sancti Martini Alumnus, ob studium haud intermissum vigentiquatuor foli-

darum

darum horarum Theologicis thesibus brevi ab ipso propugnandis impensum, in gravem morbum incidit, cujus vi mens tantâ studii contentione defatigata a sua sede dimota est, utque a phrenesi quâ exagitabatur in præcipitium aliquod non raperetur sibique met mortem haud intentaret, manibus pedibusque ferreis vinculis constrictis, ceu bellua palo illigata, dies noctesque miserè traducebat. Nullo helleboro, nullâve Medicorum arte insidens in cerebro humor pellebatur, immo in dies magis ac magis augebatur morbus, cumque ad acto jam menses protracta esset insania, de eo propemodum actum credebatur. Sed Turibii ope ab ipsius Matre et Sorore enixe imploratâ, atque ejusdem Beati Reliquiis ægroto admotis, extemplo mirabile dictu! insaniâ depulsâ, mens suæ sedi tam validè restituta est, utì catenis citò resolutis, gratias Deo egerit, sacris solemnibus, quæ pro Turibio Limæ tunc agebantur interfuerit, sanâ reliquo vitę suæ tempore mente Turbii beneficio omnia gerens.

III. Josephus de Lara Sacerdos ex ossiculo casu deglutito, quo fauces nimis premebantur, cum ad Turibium confugisset illico ipsius ope illud feliciter ejecit.

IV. Non absimile beneficium consecuta est puella quædam quæ æneam cochleam in guttur trajecerat.

V. Maria Castagnida tres annos nata suffusione oculorum capta, instar cæci Evangelici, *inquiunt Acta*, homines tanquam arbores ambulantes vix cernebat. Lucia ejus avia B. Turibii Reliquias ei applicuit, ægramque ad ejusdem Servi Dei Imaginem in sacra S. Dominici Aede publicæ expositam adorationi duxit, ut Turibii beneficio quod prẹsens sperabat freta, egritudinem quâ vexabatur depelleret. Vota feciliter consecuta fuit, opem quâ egebat experta.

VI. Bartholomæus & Franciscus germani fratres de Ascurrunz pleuritide, malignâque jactati febri in ultimo vitæ discrimine versabantur. Turibii effigie eorum pectoribus admotâ, cum totam noctem quietè traduxissent, insequenti die febri excussâ cæterisque morbi reliquiis omnino evulsis evigilarunt, ac post tres dies ad Turibii sepulchrum provoluti Deo bonorum omnium datori gratias egerunt.

VII. Copioso e naribus sanguinis effluvio Matthæus de Roxas & Aguero correptus, remediisque domesticis ut sisteret frustra tentatis, ut primùm Turibii Reliquiæ ægroto pene exangui appositæ sunt statim cruorem qui tunc uberrimè scaturiebat com-

compescuere. Ne verò id casu evenisse putaretur, sacris illis Reliquiis suo loco restitutis priori impetu sanguis erumpere cœpit, ast iisdem rursus admotis, protinus sistitur.

VIII. Sacro earumdem Reliquiarum tactu puer bimulus Antonii de Yturisarra filius vehementi apoplexiâ correptus ad novam velut revocatus vitam Turibii gloriam tam insigni beneficio & miraculo auxit.

IX. Gravissimo æquè ac molestissimo Erysipelatis morbo, quo eodem anno MDCLXXXIV. plures absumebantur, Sacerdos Joannes de Mendoxa capite correptus, & febri, quâ urebatur, in gravem periculum redactus, Turibii Imaginem petiit, quâ sibi admotâ, statim ingravescens dolor vim suam remisit atque æger pristinam valetudinem recepit.

X. In maximis doloribus tres annos exegerat Joannes de Salzedo chirurgicæ artis professor. Iis affecta ipsius valetudo debilitataque in paralysim proruperat, quâ viribus omnibus pene destitutus, motuque præsertim in cruribus privatus, vix fulcris aliorumve ope adjutus, incedebat, spe omni illi erepta e morbo evadendi: quare ad xenodochium Incurabilium, ut dicunt, quod sanctissimus Præsul extruendum curaverat, ductus, ibidem eadem paralysi laborans absque ullo medicæ artis præsidio tres menses expleverat. Coelitus instructus Turibii sacellum, quod eodem in loco fidelium pietas erexerat, adire apud se omnino constituit, quamobrem fulcimentis nixus & corpore raptans, ægerrimè licèt, illuc se contulit: cumque a Dei servo præsidium postulasset, sibique quoties accedebat vires augeri sensisset, subitò pristino se robore donatum sensit; quapropter rejectis illico sustentaculis liberè expeditèque domum suã a xenodochio haud parum dissitam, omnibus miraculum suspicientibus Deumque laudantibus adivit.

XI. Petronilla Arias Maldonado ulcerosâ gangrænâ in crure premebatur. Chirurgus nullum non movit lapidem ut excrescentis ulceris vim cohiberet, at cum oleum & operam perderet, gangrænaque ipsa magis crudesceret, ægram uti sacrâ se expiaret confessione præmonuit, quandoquidem insequenti die non sine gravi vitæ ipsius periculo ulcus ferro altius impresso secandum opus sibi esse, ne virus quod serpebat delitescebatque crus totum vitiaret. Mulier, ut ferri sectionem quam nimis abhorrebat effugeret, Turibium orat ejusque Iconem, subductis emplastris, ulceri illigat, ac paulo post solutis ligaminibus, crus tumore ulceroso omnino ex puncto, apparuit.

XII. Ea-

XII. Eàdem fervi Dei Icone Joanna de Pennafiel maximis partûs doloribus excruciata, fubitò prolem emifit.

XIII. Infeftiffimo Ifchiadis morbo Cleria Fatia Virgo Romana a longo tempore divexabatur. Nullum quod ab arte præfidium defiderare poterat neglectum. Medicaminibus non folùm ingravefcens ęgritudo non depellebatur, immo magis ac magis obfirmabatur. Ut verò Turibii opem petiit ftatim priftinâ falute donata magnum Turibii nomen Romæ etiam tam infigni miraculo quod contigit anno poft humanæ Redemptionis aufpica MDCXCII. inclarefcere cœpit.

XIV. Hæc pauca ex multis quæ in Actis ob Turibium in Sanctorum numerum accenfendum refe273untur viri fanctitatem non virtutibus folùm fed tot infignibus quoque miraculis commendatam luculenter produnt. Hinc habent Pii omnes quę imitentur, ut imitationis merito Turibium propitium experiantur.

LIBRI QUARTI ET ULTIMI FINIS.



